
PETER
SEABY
B

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/thesaurusnumisma00pati

THESAURUS NUMISMATUM.

E MUSÆO

CAROLI PATINI

Doctoris Medici Parisiensis.



SUMPTIBUS AUTORIS.

M. DC. LXXII.

SERENISSIMIS CELSISSIMISQVE

PRINCIPIBUS

AC FRATRIBUS,

EBERHARDO, FRIDERICO, ULRICO,

WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ DUCIBUS,
MONTISBELLIGARDI COMITIBUS,
HEIDENHEIMII DOMINIS, &c.

Dominis ſuis Clementiſſimis,

CAROLUS PATIN.

INane profectò foret meum conſilium, ſi Sereniſſimis Celſitudinibus veſtris dignum munus offerre haberem in animo, SERENISSIMI PRINCIPES. Vos novi quodcunque dona-

rium vel & aquam, ut olim fecerat Illuſtriſſimus ille Perſarum Imperator, gratè benignèque recipientes. Audaciam effecit veſter erga litteras litteratoſque favor, quos omni honorum dignitatumque genere proſequemini. In me uno ſit hoc veſtræ magnificentiæ exemplum, quem beneficiis veſtris præter ſingularia affectus teſtimonia, cumulaviſtis. Ea ſi me imparem, ſane non ingratum percuſſerunt, quippe qui me SS. veſtris Celſitudinibus arctiſſimè devinctum palam & publicè prædicem. Majora præſtarem ſi daretur occaſio; ſed ecqua dari poteſt? quæ tantis Principibus utilem me efficeret, quam ſemper mea ſuperarent vota. Jam innotuerunt orbi toto Duces Wirtembergici, ſe ipſis & ſuis Majoribus clariſſimi: Eorum Pietas, Conſtantia & Fortitudo, Germanorum avitæ dotes, quemque rapiunt in admirationem; non Germanos modò ſed & exteros quoſcunque, quos vel amica fortuna vel invida, ad Vos pellexit. Vos ii omnes amant qui vos norunt, nec minus veſtræ gloriæ, moribus veſtris conſuluiſtis, quàm armis, quibus & quales fueritis, egregiè præſtitiſtis. Superiori bello, quo tota veluti delirans

& furens flagrabat Europa, nil præclarum abſque Ducibus Wirtembergicis factum eſt; Unus quaſi Jupiter, alter quaſi Apollo diverſas agebat partes ſuſtinebatque, Martem uterque gerebat. Quamdiu Rhenus ad arcton, Danubiuſque auroram verſus perfluent, tamdiu vos Duces VVirtembergicos celebrabunt ubique victores, perpetuò Heröas: ſed hæc decent Hiſtoricos, quibus amplum dediſtis ſcribendi & docendi argumentum. Deus vos diu ſervet incolumes, FRATRES SERENISSIMI.

Vovebam Amſtelodami, Kalendis Octobr. MDCLXXI.

PRÆFATIO.

NArrat Cicero allatum fuiſſe Scipioni Acipenſerem, piſcem in primis nobilem & qui admodum raro capitur: cùm autem Scipio unum & alterum ex his qui eum ſalutatum venerant invitaſſet, pluresque etiam invitaturus videretur, in aurem Pontius, Scipio, *inquit*, vide quid agas, Acipenſer iſte paucorum hominum eſt. *Idem de* THESAURO *noſtro fari liceat: Acipenſer hic paucorum hominum eſt, cum ſit & nobilis & inventu rarus, ut Plinii verbis utar. Hæc tituli ſuperbiam genuere, quem* SELECTIS NUMISMATIBUS, *modeſtius ſcilicet me gerens, indicaſſem, ſi eumdem non priùs ſibi vindicaſſet vir in hiſce deliciis Dictator, Ill. Abbas Seguinus. Quamvis argumentum noſtrum idem fere fuerit, minime conveniebat illud eodem deſignari titulo, à quo diſpari prorſus elegantia & amicitia noſtra arceri videbar. Si quis ut rebus meis olim, ſic nunc & magnifico huic* THESAURI *verbo invideat, deſinat conqueri, & noſcat pauperes ipſos ſuum majorem habere in aſſe Theſaurum quàm divites in millibus. Alter ſi occurrat qui carbones eſſe pro* THESAURO *cenſeat, cenſcat ille quid velit, at illum iniquum arbitrabor, ni mutet opinionem: Ut enim de induſtria mea aut diligentia taceam, impenſas ad id factas ſi recenſerem,*

non immeritò THESAURI *vices ſupplere quingentorum rariſſimorum Numiſmatum collectionem judicaret. Si denique aliquis eo eſſet animo aut ita erga me maligno, quod nollem ſuſpicari, aut ita ignaro, quod dolerem, qui Nummos hoſce non antiquos exiſtimaret, ſed aut inanis gloriæ acquirendæ, aut alterius argumenti cauſa ſuppoſititios à me publicatos diceret, re ipſa convinci poſſet, quam non Eruditorum oculis modò, ſed & omnium hominum lubens gratiſque ſubjicere paratus ſum. Pauciſſimis enim exceptis, qui in primorum orbis Principum Cimeliarchiis collocati ſunt, ceteri penes me ſunt, invita fortaſſis atque irrita Fortuna.*

BENEVOLO LECTORI.

NE ſuſpiceris tam ſuperbo THESAURI elogio crumenæ tuæ inſidias tendi; non tibi hæc tota Nummorum congeries ultra duos Imperiales conſtitura eſt. Si Te impenſæ pœnitet & hoc Opuſculum Tibi parum delectationis vel commodi afferat, hoc habeas diſpendii ſolatium, quod non plus fœnoris aut lucri ad me hinc redundabit.

IN THESAURUM NUMISMATUM

Omnis generis,

A

V. C. CAROLO PATINO, D. M. P.

editum.

Æris THESAUROS *ignoti misit in Orbem*
Jupiter, æternas expositurus opes.
Vidit, & æternum genuit Natura PATINUM,
Ne foret interpres muneris arte minor.
Quos æterna movet Virtus, ne rodite librum:
Jupiter hinc, vindex inde PATINUS *erit.*

Testandi erga Virum summum cultus
gratiâ posuit

JO. CHRISTIANUS KECKIUS,

Consiliarius Durlaco-Marcicus.

IN

CAROLI PATINI,

Medicinæ Doctoris Parisiensis Celeberrimi

THESAURUM

DE

NUMISMATIBUS,

JOHANNIS ALBERTI SEBIZII

Doctoris Medici, atque in Universitate Argentoratensi Professoris

EPIGRAMMA.

DUm tantos edis Thesauros nomine magno,
Ingenii monstras divitias & opes.
Thesauros animi fas est fortuna sequatur
Ac immortalis gloria, vita, salus.

ΕΙΣ ΤΟΝ

ΚΑΡΟΛΟΥ ΤΟΥ ΠΑΤΕΙΝΟΥ

Τῆς ἀρχαιολογίας ἐμπειροτάτου

ΘΗΣΑΥΡΟΝ.

Χάλκεόν μοι Γάλλαο πολυχρύσοιο ῥέεθρα,
Ἠδ' ὅσα καλὰ φέρει ἀντολὴ ἠελίου.
Ὧδ' ὐδὲν κλέος ἐστὶ σμαραγδίτιδος μηδ' ἀδάμαντος,
Καὶ ἐθέλοι φοίβῳ φέρτερος ἐξιζέμεναι.
Ἔνθα ῥα ΘΗΣΑΥΡΟΣ πόσον ὐχ' ἑκαλόμπυλοι εἶχον
Θήβας, ὅθ' Αἰγύπτου κτήματα πλεῖσα πέλεν.
Κείνων οἳ' ὐκ ἐξίσας πυθοῖ ἐνὶ πετρήεσσῃ
Λάϊος ὅσσ' ἑκάτου ὐδὸς ἔεργε θεοῦ.
Γλωσσέα γὰρ ῥ' ἄτε μοῦνα γαίης βασίλισσα κεχάνδει
Ῥώμη ὅσσα τ' ἀγητ' εἶχε, τάδ' ἔνθα βλέπεις.
Ἔνθ' ὧπας τάδε τ' ἔργα διοτρεφέων βασιλήων,
Σκῦλά τε παντοδαπῶν ἐστιν ἰδεῖν μερόπων.
Ἱερὰ πολλὰ, θεούς τε ἀγάλματα ἠὲ καὶ ἄθλους
Τέκτονες εἰδύιαις ἐνθάδε χερσὶ κάμον.
Τηλεθόωσαν ὁρᾷς Ῥώμην, ἣν' ἠερόεντος
Ἐκ ζόφου ἀνσκίμψῃ φαίδιμος, ὥστε ἕλιξ.
ΘΗΣΑΥΡΟΝ δέ γε τόνδε κιχήμενός ἐστι ΠΑΤΕΙΝΟΣ,
Τοῦ ἕνεκ' ἀργαλέους ἐκτελύσατε πόνους.
Οὗτ' ὐδ' Αὔγουστος μηδ' ἔδρακε δῖος Ἴουλος,
Ῥώμην ἧς' ἀποδοὺς φέρτερος ὐδ' αἴδιον.

Τιμῆς τε καὶ φιλαρχαιότητος ἕνεκα Δαπέμπει

SEBASTIANUS FESCHIUS, Basil. LL. Cand.

Κροῖσος ἐπὶ πλούτῳ, λιβάνοις ἐφ' ἑοῖσι Σαβαῖος
Αὐχοῖ, φθείρονται πάντα τὰ δῶρα γέας.
Ἀρχαίας πίστις, ἀρετὴ καὶ δόξα τε Ῥώμης
Μούνη θησαυροῦ τοὔνομ' ἀγαυὸν ἔχει.
Ἴσῃ γὰρ στίλβει τιμῇ τὰ νομίσματα ἔξω,
Ἠδὲ ὁμοῦ ἀρετῆς φαιδρὸν ἄγαλμα πέλει.
Κἄν τινα κοινὰ ἔωσιν, ὅμως σπανιώτατ' ἐρευνῶν
Εὑρήσει, σπάνιον δίζετε πλοῦτον ὑμῖν.
Ὃς χρόνῳ ἠδὲ βροτῶν βίᾳ οὐ δύναται ἀπολέσθαι.
Ἃ βλάβε καδδύναμιν, μήτ' ἐδύναντ' ὀλέσαι.
Ἄρχοντες φιλέουσι, δι' οὗ τὰ παλαιὰ μένουσι
Σῶα, κ' ἄνευ ἄτης ἐστ' εὔμορφα ἔτι·
Ἄρχουσιν πυθίου θεράποντες Ἄνακτος ἕπονται,
Πάντοτε ἱέμενοι τἄφθιτα δῶρα ἔχειν·
Ἀγλαὰ Θησαυρὸς πορέει τάδε δῶρα ΠΑΤΕΙΝΟΥ,
Οὔ ποθ' ἢ ἐνταυθοῖ ζήτεο ὅ, τι μάεις.

VERSIO LATINA.

JActet Crœsus opes, jactent sua thura Sabæi,
Hæc pereunt, pereunt fulva metalla Soli:
Prisca Fides, Pietas, Romani Gloria secli,
Sola hæc Thesauri *nomen habere queunt.*

Non minùs hæc radiant pretio, pretioſius illis
Virtutum eſt meritum, quod quoque nummus habet:
Obvia nummus habet, ſed & heîc rariſſima quærens
Inveniet, raras quærite divitias,
Quas tempus, quas nunquam hominum violentia perdet,
Quod potuit, læſit; perdere non potuit:
Principibus carum eſt, quo vivit tanta Vetuſtas,
Nil vetus eſt iſthic, cuncta venuſta vident:
Principibus ſoboles ſuccedit Apollinis, omni
Duratura ævo quærit ubi inveniat:
Omnia Theſaurus *pandit pretioſa* PATINI,
Aut hîc, aut nuſquam quærito, & invenies.

Felicitati Temporum,

Quibus φιλαρχαιότης & PATINUS rarum ſimul atque carum *Theſaurum* ſuum Orbi Erudito communicat, gratulatur

Baſileæ ipſis Idib. Jun.
MDCLXXI.

JOH. RODOLFUS VVETSTENIUS, Fil.

CAPVT I.

DE NVMMIS EX AVRO.

SI quid magnificentiam Romanorum opesq; potest demonstrare, id profecto efficient nummi eorum ex auro, quibus æternam sui memoriam posteris commendauêre: metalli dignitas, insignis scalptura, integritas, iis supra ceteros primum tradunt locum. Mirum quot Romani quamque varios confecerint, omnes ex auro purissimo; manibus contrectauimus fere mille diuersos indubitatæ antiquitatis. Quot fuerint ex vnâ formâ quis audet coniicere? certe erant innumerabiles. Sæpe occurrunt thesauri, quo enim alio nomine maximum eorum numerum indigitabimus? qui vel è ruderibus vel è puteis, vel ex vrbium funda-

mentis, etiam in ipsis siluis eruti sunt : id iam nobis plusquam decies vidisse contigit. Historiam nummorum eorum qui ex auro reperiuntur, quodammodo aggressus est Ioannes Hemelarius qui Ducis Arschotani numismata in publicum emisit. Nos nihil tale nunc cogitamus; opus est quod a summis Principibus debet promoueri, cuius iam quædam nobis spes facta est : interim viginti proponere meditamur eximiæ raritatis & integritatis, illisque leuem subiungere interpretationem.

Primus occurrit DIVVS IVLIVS quem qui non nouit, docere non cupimus : is est magno illi Alexandro sed sobrio neque iracundo simillimus : is est in cuius gratiam periisse videntur tres priores orbis monarchiæ, quò ipsi postrema illustrior exurgeret : is est de quo prouerbium ventilatum est *Ex utroque Cæsar*, virtutem enim eius bellicam, priuataque studia nemo satis mirari potest, in omnibus fere feliciſſimus, qui etiam ea morte quam appetierat, obiit. Illi primùm licuit

licuit faciem in nummis signare, quod ante eius tempora apud Romanos inusitatum erat : sed quod imperij breuitas plures ex auro confici non permiserit, vel quod rem inusitatam quamvis sibi licitam noluerit communem vltro fieri (is enim rebus suis summopere studebat, quarum non minimi momenti eam esse arbitror quæ calumniam amouet) alter effecit, ne tanto Principi hæc etiam deesset gloria : Optimus Princeps IMPerator CÆSar TRAIANus AVGustus GERmanicus DACicus Pater Patriæ RESTituit eius nummos in æternum prætiosissimos futuros. Victoria gradiens caducæum tenet, pacem indicans: anguis appositus majestatis eius est symbolum.

AVGVSTVS & per se notus est & per successores Imperatores,omnes enim Augusti dicti sunt. Priorum facinorum famam aboleuit factis posterioribus. Post deletos hostes Brutum & Cassium, Pompeium, Antonium, morum suauitatem aperuit. Eum in æternum commendabunt natalitia Christi qui eo imperante

pro ſalute hominum ex virgine natus eſt, quo quidem tempore pax per orbem terrarum Auguſti auſpiciis erat indita. Qualis fuerit T. SEMPRONIVS GRACCVS qui hic Quartum-Vir & Quæſtor deſignatus legitur, in familiis Romanis dictum eſt. Quod hic Quartum-Vir monetalis cenſeatur non Trium-Vir, ex eo factum eſt quod Iulius Cæſar pro Trium-Viris Quatuor-Viros ſubſtituerat, qui tamen ab Auguſto paulo poſt ad priorem numerum reducti; Fortuna temonem tenens & cornucopiæ ad Auguſtum referri poteſt qui adverſam priorum temporum in proſperam mutauerat.

Vtriusque Imperatoris facies hunc nummum illuſtrant, Iulij & Auguſti. Hanc artem ſeipſum commendandi ingeniosè reperit modeſtiſſimus Agrippa qui nummum percuſſit. Sic enim ſibi per ſocerum gratulatur, illique & quòd orbi imperaret & quòd Diui Iulii filius eſſet. De Agrippa plura ſcripſimus tùm in Familiis Romanis, tum in nummorum Romanorum interpretatione qui ſunt ex ære mediocri.

NERO



NERO CLAVDIVS DRVSVS GERMANICVS *in quæsturæ prætoraque honore Dux Rhætici deinde Germanici belli, Oceanum septentrionalem primus Romanorum Ducum nauigauit. Ex hoste sæpius cæso fugatoque ouandi ius & triumphalia ornamenta percepit, inito consulatu atque expeditione repetita supremum diem seu morbo seu veneno obiit, in æstiuis castris, quæ ex eo scelerata sunt appellata. Corpus eius per municipiorum coloniarumque primores suscipientibus obuiis scribarum decuriis, ad Vrbem deuectum, sepultum est in Campo Martio. Cæterum exercitus honorarium ei tumulum excitauit, circa quem deinceps stato die quotannis miles decurreret, Galliarumque ciuitates publicè supplicarent. Præterea Senatus inter alia complura marmoreum arcum cum trophæis via Appia decreuit & Germanici cognomen ipsi posterisque eius.* Nihil profecto illustrius neque quod nummum magis explicet, adest cognomen Germanici, adest arcus triumphalis DE GERManis erectus, adsunt trophæa,

quæ omnia non niſi Druſo mortuo nummum eſſe ſignatum, euincunt.

Maximus ille armis maximus ille togâ.

Druſi filius GERMANICVS Princeps optimus huiusque filius Caligula peſſimus in hoc nummo repræſentati ſunt: hic illum in ſuo nummo ſcalpi curauit quo Romanorum mentes Germanico admodum fauentes ſibi vltro conciliaret. De iis mirabilia ſcripſit Suetonius.

CLAVDIVS *expeditionem vnam omnino ſuſcepit eamque modicam, cum decretis ſibi a Senatu ornamentis triumphalibus leuiorem maieſtati principali titulum arbitra-*

arbitraretur, velletq; iusti triumphi decus vnde acquireret, Britanniam potissimum elegit, neque tentatam vlli. post Diuum Iulium & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Ostia nauigaret vehementi Circio bis penè demersus est prope Liguriam. Quare a Massilia Gessoriacum usque pedestri itinere confecto inde transmisit, ac sine vllo prælio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulæ in deditionem acceptâ, sexto quam profectus erat mense Romam rediit, triumphauitque apparatu maximo. Quid exactius hunc arcum DE BRITANNIS extructum explicare potest quam hæc Suetonij verba. Effossa est in Anglia plumbea lamina a Camdeno commemorata idem referens. *In Claudio cap. XVII.*

TI. CLAVDIVS CÆSAR AVG. P. M.
TRIB. P. VIII. IMP. XVI. DE BRITAN. *Grut. inscript. pag. 238.*

NERO cum AGRIPPINA matre hic cernitur siue auersis faciebus, siue iugatis. Ad vtrumque pertinet quod scribit Suetonius. *Is matri summam omnium rerum* *In Nerone cap. IX.*

rerum publicarum priuatarumque permiſerat; primo etiam imperij die ſignum excubanti Tribuno dedit OPTIMAM MATREM, *ac deinceps eiusdem ſæpe lectica per publicum ſimul vectus eſt.* Sed eam mox dicta factaque ſua exquirentem acerbius & corrigentem honore omni & poteſtate priuauit; abductaque militum & Germanorum ſtatione contubernio quoque ac palatio expulit, tandem perdere ſtatuit, & cum veneno ter tentaſſet, ſentiretque antidotis præmunitam, lacunaria quæ noctu ſuper dormientem laxata machina præciderent, parauit; quibus non ſuccedentibus matrem per Centurionem Anicetum gladio confici iuſſit. Cui illa, *Percute ventrem.* Corona quercea vna eſt ex iis quas Græci ipſi miſerant & dicauerant.

Veſpaſiani gloriam ſuâ teſſerâ ſignificare voluit Imperator Traianus, qui eius nummis eandem reſtitutionis notam quam Iulij Cæſaris affixit. Fulgur ſellæ impoſitum nil niſi Prouidentiam & ſummam Imperatoris poteſtatem refert.

Optimus

Optimus Imperator Trajanus Plotinam vxorem habuit, ſanctiſſimam, vt inquit Plinius, fœminam: hæc ita modeſtè ſe geſſit in ſumma poteſtate, vt de ea nullus jure conqueri potuerit. Non deſunt qui eam Hadrianum amaſſe exprobrent, quiq; hunc omnibus artibus, & ejus fauorem & imperium acquiſiuiſſe dicant: verum ſit nec ne, dubito, at certè maritum hæc latebant, qui in vxoris honorem hanc ARAM PVDICITIÆ aut extruxit, aut extructam hoc nummo celebrauit. *In Paneger.*

Plotinæ ex Marciana neptis fuit MATIDIA quæ AVGuſta etiam dicta eſt, & mortua inter Diuos

relata. Mater fuit Sabinæ, Hadriani vxoris. Considerandum ex nummo rariſſimo venit, quomodo fœminis etiam licitum fuerit, nummos ſua facie inſignitos in auro percutere : id arbitror ex Auguſtæ dignitate fuiſſe, quamuis prioribus imperij temporibus nulla huiusce fuerit mentio. Opibus, luxu, magnificentiâ creſcentibus, & eorum creſcebant indices.

Gratam beneficii accepti memoriam poſteris per hos nummos tradit Hadrianus. Is Traianum tutorem habuerat, a quo fuit adoptatus. Ei mortuo ſe ſua nomina OPTimi AVGuſti GERmanici PARThici debere, vt & dignitatem teſtatur.

DIVIS eius PARENTIBVS alter dicatus eſt, Traiano & Plotinæ : huius fauore Hadrianum adoptatum & ad imperium prouectum ſcribunt Veteres. Facies quidem conueniunt ; attamen Cl. Triſtanus eas Hadriani patri & eius matri Domitiæ Paulinæ tribuit, quod non arbitror.

ÆLII

ÆLII Cæſaris facta attingere mei non eſt propoſiti. Eum adoptauerat Hadrianus: ſed vt & ipſe conquerebatur, in caducum parietem inclinauerat: obiit enim ante Hadrianum. Nummi eius ex auro ſunt rariſſimi.

Qualis fuerit Commodus Imp. & quàm incommodùs Populo Romano nemo neſcit qui Romanam hiſtoriam primis etiam labris deguſtauerit. At res egregia in hoc nummo cernitur: ſe HERCulem ROMæ CONDitorem ille prædicat, Vrbem incendere cogitans, vt illam veluti ſuam Coloniam reſtitueret. Patet id ex nummo æreo. Congruunt anni, in ſeptimo nempe conſulatu.

Rariſſimi ſunt PERTINACIS nummi. Bonum illum Imperatorem minus ad ſui gloriam nummos ſignaſſe, quam ad imperij maieſtatem credibile eſt. Eius tamen plurimos poſſideo ex auro, argento & omni ære.

Nullus fuit Imperator Romanus qui pluries aut vxorem aut liberos in nummis celebrauerit quam SEVERVS. FELICITATEM SÆCVLI in hoc pollicetur per filios Caracallam & Getam, Iuliâ intermediâ: illi omnes aut Seuerum aut ſe invicem in ſuis nummis publicari curauêre. Exempla ſunto tot nummi antiqui quos poſſideo, ex omni metallo.

POSTVMVS

POSTVMVS *in bello fortißimus fuit, in pace conſtantißimus, in omni vita grauis*, vt ait Treb. Pollio. Ab eo Poſtumius vbique vocatur & a Vopiſco, reclamantibus omnibus nummis, noſtro præſertim in cuius vtraque parte non Poſtumius ſed Poſtumus legitur. Ludos quinquennales eum feciſſe poſt annos imperij quinque, & vota decennalia concepiſſe, ex inſcriptione patet. Victoria enim X apponit in clipeo quaſi decennalia vouerit, ſed non ſoluere licuit: is enim anno ſeptimo oppreſſus fuit a Lolliano, & interfectus. Prætermittere non poſſum, eius nummos Gallis familiares, quòd in Galliis regnauerit, admodum eſſe raros cùm aurei ſunt.

Præclarum profecto typum hic nummus exhibet. PROBVS ſcipionem tenens, tanto captiuorum numero videtur totum viciſſe terrarum orbem, quod innuit inſcriptio. Rem dilucidat Vopiſcus: *Nonne*, inquit ille, *omnes barbaras nationes ſubiecerat pedibus? quia totum mundum fecerat iam Romanum: quamobrem illi familiare fuit dicere, Breui milites neceſſarios non habebimus.* A tumultuante milite occiſo erectum eſt ingens ſepulchrum, cum titulo huiuſmodi, inciſo mamori,

HIC PROBVS IMPERATOR
ET VERE PROBVS SITVS EST,
VICTOR OMNIVM GENTIVM BARBARARVM
VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

Vicerat ille Germanos, Alanos, Marmaridas in Africa, Palmyrænos, Francos, Gothos, Sarmatas, Parthos, Perſas, Geticos, Gepidas, Vandalos, nec vnquam victus

victus fuit, quare nummum VICTORIOSO SEMPER dicatum esse non est cur miremur.



CARI nummum ob raritatem hic apposuimus: inscriptio quidem spectanda est, quæ INDVLGENTIAM AVGusti celebrat per victoriæ gradientis typum. De indulgentia satis dicimus in Libro de Numismatibus ex ære.

MAGNIA VRBICA in hoc nummo AVGVSTA dicitur: fuerit ne illa Maxentii an Magnentii vxor, adhuc dubitatur: sed nummum eius rarissimum esse certum est. VENEREM VICTRICEM celebrauit, quemadmodum olim Faustina & Lucilla fecerant.

Eiusdem

Eiuſdem habeo VENERI GENETRICI dicatum, quod eam peperiſſe innuit, quaſi gratiam agentem pro ſuſcepto partu : ex quo Maxentii vxorem, cui Romulum genuit & alium, coniectura eſt. Nullum enim exſtat veſtigium, quo Magnentium liberos habuiſſe coniiciatur.

CONSTANTINVM Magnum & facinora & noua imperij Romani ſedes & Chriſtiana Religio clarum efficiunt. Cùm Byzantium appulit, quod ſuo nomine Conſtantinopolim vocauit, miſſiles nummos in vulgus ſparſit, quos indicat huius nummi inſcriptio, FELICEM ADVENTVM AVGVSTI celebrans. Tres characteres in ima nummi parte ſignati Conſtantinopolim deſignant. Duo deinde obſervanda veniunt in hoc nummo. Conſtantini veluti cognomen : Is enim MAXimus dicitur. Deinde nummi moles cum pondere : Ea duplo cæteris amplior eſt.

Et hæc habebamus ſcribenda de nummis ex auro.

CAPVT

CAPVT II.

DE NVMMIS GRÆCIS.

HEA est Græcorum Numismatum dignitas, quæ aut tempore, aut artificum peritiâ, aut rerum varietate, cætera haud dubiè vincat: eorum præstantiam vulgare non est nostri propositi. Goltzius id iam præstitit, cum Cl. Nonnio Medico. Vtriusque opus primas tenere inter huiusce sortis libros arbitramur. Facile tamen est inuentis addere: quædam ex thesauro nostro vulgabimus non aspernanda: vtinam de his suas possint & Goltzius & Nonnius aperire mentes. Commentarios quidem scribere nobis non proponimus nisi breues, qui scalpturas spargi solas non sinant, & Eruditorum feliciores coniecturas prouocent.

Macedoniam nobiliſſimam fuiſſe prouinciam centum & quinquaginta populorum altricem, quondamque imperio terrarum inclitam, certum eſt. Quare illam P. Æmilius non redegit in prouinciam, ſed liberam reliquit. Diana a Macedonibus ſemper culta fuit, quòd venationis egregiè eſſent ſtudioſi, quapropter ſuos clipeos & monetas eius facie inſignitos habebant. Claua originem Regum Macedoniæ indicat, ij enim ab Hercule. Inſcriptio docet ex quatuor Macedoniæ regionibus, hunc nummum in prima cuſum fuiſſe.

Plut. in Alexand.

Sequens etiam ad Macedonas pertinet: TAMIVS CAIVS POPLILIVS ſiue POPÆLIVS ei inſcriptus eſt: ſed qualis ille fuerit, aut quo tempore cuſus nummus, non facile eſt coniicere: quamuis vtriusque nominis plures apud Romanos reperiantur. Illum præpoſitum fuiſſe Macedoniæ certum eſt. Nummus hic qui æreus eſt, ad Familias Romanas, Conſulares vulgò vocant, referri poteſt.

ACARNANIA Epiri prouincia iuxta Acheloum: in hanc coloni priſcis ſæculis venêre. Taphios illos & Teleboos refert Strabo : Alij Lacædemonas veniſſe dicunt, quod magis placet ob appoſitum in nummo Lycurgi nomen, à quo ſuas leges acceperunt: Acarnanes ſoli ex Græcis aduerſus Troianos auxilia non miſerunt , quòd illos authores originis ſuæ arbitrarentur. Cur hîc Minotauri caput, & illa figura arcum tenens, non facile eſt interpretari.

Epiro oppoſita eſt LEVCAS; quæ cum peninſula eſſet continentis pars , â Corinthiis quorum erat colonia, perfoſſo iſthmo, inſula facta eſt. Dimidiata nauis ſitum indicat. Diana tum ex appoſito ceruo, tum ex falcata luna capiti impoſita agnoſcitur : illa manibus aliquid tenet, quod acroſtolium nauis Cl. Nonnius interpretatur : poſſet ad piſcem referri qui frequens occurrit in nummis vrbium maritimarum.

Inter Æolicas insulas clarissima est LESBOS, fertilissima & generosi imprimis vini ferax. Suas frequenter signauit monetas obscœno schemate, nimirum Sappho puellam comprimente.

Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas.

In hoc nummo certè vir ex summè neruosis artubus & barba & capillitio cernitur.

CORCYRAM insulam esse celebrem maris Ionij norunt omnes. *Corfu* hodie dicitur, Venetis parit. Bos dimidiatus ad id fortassis refertur, quod narrat Pausanias, *Eum suo mugitu thynnorum copiam indicasse, quamobrem ob accepti beneficij gratiam, ille Neptuno immolatus est, eiusque æreum simulachrum Delphos missum.* Quare istud facinus in nummis non signassent? Vuam & hæderam Baccho sacras nemo non nouit. Hunc Corcyræ cultum fuisse in proprio templo scribit Thucydides, certè ob vinorum copiam, quæ vt generosissima laudat Athenæus: Venetias etiamnum deferuntur & in occidentales regiones, Corcyræorum aut Græcorum nomine.

GORTYNA vrbs eſt in inſula Creta non procul â Phæſto, ad oram meridionalem. Illius nomen in hoc raro nummo legitur cum typo inſolito, muliere nempe arbori inſidente. Ad id referunt quod Plinius ſcribit, *Eſt Gortyniæ in inſula Creta iuxta fontem Platanus vna inſignis vtriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittens, ſtatimque ei Græciæ fabuloſitas ſuperfuit, Iouem ſub ea cum Europa concubuiſſe.* Illuſtrat coniecturam taurus in auerſa parte ſignatus. In Phæſtienſium nummis vterque fere typus cernitur, fortè ob vrbium viciniam. Lib. 12. c. 10.

LAPPA vrbs eſt etiam Cretæ mediterranea: Lapithum vrbem eſſe in Cypro docent Steph. & Ptol. ſed illa vnum tantum Π. habet, quare ad Cretæ Lappam reuocandus venit nummus. Lyram autem Apollini ſacram in plurimorum Græciæ populorum monetis ſignatam eſſe, teſtes ſint eæ, quæ ſuperſunt ex Deliis, Delphis, Coiis, Chalcedonenſibus, Tauromeniis, Actiis, Calydoniis, Scotuſſæis, Perinthiis, Cerinthiis, Mytileniis.

IERAPYTNA hos duos nummos cudi curauit, quos ambos ob raritatem appoſuimus : illa vrbs erat non incelebris, Cretæ inſulæ ad oram meridionalem. Palma quidem vel ad earum copiam, vel ad Syriæ Reges refertur : quin aquila Iouis natalitia commemoret quibus Creta gloriabatur, nullum eſt dubium. Caput turritum vrbis Genium repræſentat.



Cyrenem Africæ nobilem prouinciam primum nummum cudiſſe nullum eſt dubium. In eo Battus vrbis conditor repræſentatur , typum implet iſtius plantæ figura, è qua Sylphium exprimitur. Laſerpitium dicitur , in hac ſola regione adoleſcit, ſilueſtre

quod ſpontè creſcit, hortulani nullâ arte colere potuerunt. Mira de eius vſu in medicina narrant Veteres: at aiunt plantam illam hodie deperditam. Medici duo Pariſienſes mei collegæ B. Dieuxiuoye & P. Doutè, hac de re controuerſiam inſtituerunt, quam doctiſſimis ſuis diatribis vulgauerunt.

Nummum alterum hic habes propter characteres & figuras: nomen populi qui nummum cudit, nobis ignotum eſt.



Eundem fere nummum edidit Goltzius, quem eius interpres Cl. Nonnius ad Egeſtam Siciliæ vrbem traducit. Certè tria crura Siciliam inſulam indicant quæ ob tria ſua promontoria triquetram referentia, τριάκρια dicta eſt.

Ouid. l. 4. Faſt. XI.

Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor,
Trinacris a poſitu nomen adepta loci.

Sed quid illa figura? an ſit Herculis, quemadmodum ille narrat, minime videmus; hîc enim neque claua, neque exuuiæ leonis, quæ eius frequentiora ſunt

ornamenta; deinde imberbis adhuc est, suum autem Herculem barbatum scalpsit Goltzius. Quid faciant duæ aliæ figuræ in parte nummi postica, non minus obscurum est; duas fœminas simul luctantes coniicere possumus. Similem habitum in suis nummis vulgaverunt Laodicenses Caracallam venerantes.

Bruttij Italiæ populi fere iidem sunt cum iis, qui dicuntur hodie Calabri. Siue a Lucanis siue a Bretto Herculis filio originem suam deduxerint, perinde est: de his plura doctissimus Nonnius. Iunonem Reginam & Neptunum hic appossuerunt. In eorundem aliis monetis & Iouem vidimus & Martem & Apollinem. Cancer appositus, cancrorum copiam indicat: vidimus nummum, in quo Deæ capiti cancer ornamento est, vt Herculi exuuiæ, aut Cybeli turris, aut Mercurio petasus; rem sane egregiam. Abundat hæc regio peculiaribus animalculis: Tarentulas vulgò dicunt, quarum venenum compescit musica, nullo alio ἀλεξιφαρμάκῳ admoto: ad populum phaleras: non ita sunt Medici corde leues, qui tam citò & omnia & omnibus credant. Sed ad nummum: ille noster est integerrimus.

Plurimos

Plurimos vidimus & eruditos quidem, qui cùm Alexandri nomen in nummis legerent, ſtatim Alexandri Magni vt præcipui iſtius nominis vultum coniiciebant, præſertim ſi facies decora & iuuenilis fuerit. Illos non morantur exuuiæ leonis caput ornantes: ad Herculem enim illas referunt, gentis authorem: ſed hic nummus Philippi Regis nomen exhibens eâdem facie & eodem typo ſignatus, rem ad ipſum Herculem traducit, cuius ornamentis & ſinguli Reges Macedoniæ vſi ſunt: Nummum habemus eâdem prorſus facie cum hoc titulo, ΣΕΛΕΥΚΟΥ.

Nummus alter Regis caput exhibet diademate cinctum: ſed quis ſit ille Rex, alter coniiciat; Nullam legimus mentionem apud Veteres factam ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Fuit quidem Antiochus cognomine MAGNVS, alter SOTER, alter THEOS, EPIPHANES, EVPATOR, SEDETES, GRYPVS,

PHILOMETOR, CYZICENSIS, EYSEBES, DIDYMVS, DIONYSIVS, COMAGENVS. Ad quemnam ex iis referri debeat noſter EVERGETES, judicet peritior.

ANTIGONVS poſt mortem Alexandri Magni Pamphyliam, Lydiam, & Phrygiam occupauit, & paulò poſt totam fere Aſiam. Hunc Scaliger primum è Macedonibus in Oriente Regem conſtituit: Aſiæ nominabant. Occiſus eſt in prælio, anno mundi 3649.

Quòd ab Hercule ortus fuerit, vt & ipſe Alexander Magnus, clauam retro caput in clipeo ſignauit, cuius formæ antiquos plurimos vidimus in ære & in marmore. Minerua autem Macedonibus propitia eſſe cenſebatur: fulmen vibrat, vt bellatrix: Meduſæ caput pro clipeo gerit indicandæ prudentiæ: huius fabulæ originem nemo litteratorum ignorat. Ad quid referri debeant duo cornua, nobis quidem ignotum eſt.

SELEVCVS ex Antiocho natus est claro inter Philippi Macedoniæ Regis Duces, & Laodice: *Ea visa est sibi per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, grauidamquè factam munus concubitus annulum a Deo accepisse, in cuius gemma anchora sculpta esset, iussaque donum filio quem peperisset dare. Admirabilem fecit hunc visum & annulus, qui posterâ die eiusdem scalpturæ in lecto inuentus est, & figura anchoræ quæ in femore Seleuci nata cum ipso fuit. Quamobrem Laudice annulum Seleuco eunti cum Alexandro Magno ad Persicam militiam edocto de origine sua, dedit. Ubi post mortem Alexandri occupato regno Orientis vrbem condidit, ibiq; geminæ originis memoriam consecrauit: nam & vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam vocauit, & campos vrbi vicinos Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam in posteris mansit; siquidem filij nepotesque eius, anchoram in femore veluti notam generis naturalem habuêre.* Partito Alexandri magni Iustin. l. 15. c. 4.

imperio, Syriæ præfuit & parti Asiæ. Ob XXIII. victorias partas, EPIPHANES dictus est & NICATOR, Illustrissimus & Victor. Fanum Seleuco consecratum fuisse NIKATOPEION dictum, scribit Appianus, ex quibus Nicator non Nicanor dici debet, sicuti nummo inscriptum est.

In Syriacis.

PHILETÆRVS Tianus Eunuchus Pergamenum regnum condidit, quod Phrygiam, Mysiam, Æolidem, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam & Pisidiam complectebatur: Fuerat is Præfectus thesaurorum Lysimachi Regis Thraciæ, quo interfecto, pecuniis & Pergamo potitus est. Coronâ frondeâ insignitus est non diademate, fortassis quòd Eunuchus & seruili conditioni proximus, maiestatem regiam sustinere ausus non fuerit, Regisque nomen sibi adsciscere noluerit. Obiit A. M. 3689. Fratres habuit Eumenem & Attalum, à quibus Pergameni Reges fluxerunt ad Attalum Philomatorem, qui moriens Populum Romanum hæredem instituit.

Nummus hic Prusiam Bithyniæ Regem exprimit. Is post deuictum ab Æmilio Perseum, *Romam venit cum filio Nicomede, Deos qui vrbem Romam incolerent, Senatumque & Populum Romanum salutaturus*, vt ait T. Liuius. Filium illis commendauit, fœdus renouauit, seque Populi Romani Libertum professus est. Tandem *regno spoliatus est a filio, priuatusque redditus etiam a seruis deseritur: cùm in latebris ageret, non minori scelere quam filium occidi iusserat, a filio interficitur.* Illum commemorat hoc versu Iuuenalis, Iustin. l. 34. c. 4. Sat. 10.

Donec Bithyno libeat vigilare tyranno.

cùm de Hannibale loquitur, qui opem aduersus Romanos ab ipso quærebat, *sed missi a Senatu Legati sunt, qui Hannibalem a Prusia deposcerent: ille re cognitâ sumpto veneno legationem morte præuenit & suo damno Prusiam fefellit*; Sic fuit, Iustin. lib. 32.

Cannarum vindex, & tanti sanguinis ultor,
Annulus.

ARIARATHES Rex occurrit, quem Cappadociæ præfuiſſe certum eſt: ſed qualis ille fuerit dubium eſſet, ni Πίθηϲον iſtud Pij ΕΥΣΕΒΟΥC in nummo legeretur. Nullatenus enim reuocari poteſt ad eum Ariarathem Artaxerxis Regis Perſarum filium, qui
Juſt. l. 10. cum L. fratribus parricidas manus parenti intulit: quomodo enim pietas tanto conueniret facinori.
l. 29. c. 2. Alter fuit Ariarathes, cui vt Iuſtinus ſcribit, Cappadociæ regnum puero admodum pater ipſe tradiderat; Occidit ille in bello contra Ariſtonicum a Romanis ſuſcepto. *Fidelior populus Romanus in ſocij filios,*
lib. 37. c. 1. *quam mater in liberos fuit*, inquit Iuſtinus, *quippe hinc paruulis auctum regnum, inde vita adempta.* Namque Laodice ex numero ſex filiorum quos virilis ſexus ex Ariarathe Rege ſuſceperat timens ne non diutina regni adminiſtratione adultis quibuſdam potiretur, quinque parricidiali veneno necauit, vnus paruulus ſceleri matris Cognatorum cuſtodiâ eripitur, qui poſt necem Laodices, nam

propter crudelitatem, eam populus extinxerat, ſolus regno potitus eſt illius filius Ariarathes, qui multa a Mithridate perpeſſus, tandem eius fraude interficitur: At illius filius in regnum reſtitutus eſt. Ad hunc arbitror nummum pertinere, cum Cl. Nonnio Goltzii illuſtratore. Eo deinde mortuo, Cappadoces a S. P. Q. Romano libertate donati ſunt, ſed illi ſe ſine Rege victuros negauerunt, quare illis Ariarathis frater Rex conſtitutus eſt, Ariobarzanes dictus Amicus Romanorum ΑΡΙΟΒΑΡΣΑΝΗϹ ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟϹ.

Huius capitis appendicem ex hoc rariſſimo nummo faciemus. Perſiæ Regem exhibet ornatum pro more , cuius capillos cingit diadema , barbâ prolixâ: ſed qualis ille fuerit, non facile eſt coniicere. Ex octo lineis in poſtica parte ſcriptis quatuor iam ſummus aſſecuti , quæ cæterarum interpretationem faciliorem ſuppeditare poterunt : ſic ſe habet , ΒΑΣΙΛΕΩϹ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΔΙΚΑΙΟΥ ..... hoc eſt , REGIS REGVM, EVERGETIS, IVSTI .... quæ omnia Perſicis Regibus conueniunt : De quibus plura dicemus in eius nummi expoſitione qui poſtremus eſt capitis ſexti.

CAPVT

CAPVT III.

DE NVMMIS CONSVLARIBVS.

peræ pretium non eſt, rem confectam iterum aggredi, quod potius ſtomachum mouere, quam Lectorem recreare nobis viſum eſt. Familiarum Romanarum numiſmata edidit Vir Cl. Fuluius Vrſinus, tam accuratè & tam eruditè, vt vix quidquam illius temporibus accedere potuerit. Suis deinde commentariis illuſtrauit Illuſtriſſimus Tarraconæ Archiepiſcopus Anton. Auguſtinus, cuius nomen omnem adimplet commendationem. Vnius ſæculi ſpatium trecentos & quinquaginta nummos nobis patefecit, quos ab octennio edidimus. Rex Chriſtianiſſimus, qui nunquam Muſis apud ſe

hoſpitium vel Eruditis patitur præſidium deeſſe, ſui cimeliarchij copiam nobis fecit, ne quid deeſſet quod tam egregio tamque memorabili monumento vlteriorem ſplendorem addere poſſet. Benignè ſibi Opus noſtrum adſcribi paſſus eſt; cuius quidem beneficii, id promouente Illuſtriſſimo Briennæ Comite Lomenio, nuſquam ero immemor. Ex quo iuris publici factum eſt, non deſiimus ſcrutari ea omnia quæ ad rem noſtram pertinerent. Fortuna plerumque inſolens ſuum interdum habet ingenium: Nobis in hoc fauit, & nummos obiecit quos hic habes, ad Familiarum Romanarum & ampliationem & illuſtrationem. Vnum addam, optandas eſſe horum numiſmatum acceſſiones, quibus inquantum poſſet fieri, Faſti Conſulares complerentur. Goltzius quidem plura edidit ſcalpſitque doctiſſimè. Verùm timor ſubeſt, ne oculatiorem habuerit in ſcalpendo manum, quam in dignoſcendis antiquis ſolertiam: neue picturis ad eum miſſis nimiùm crediderit: Vix enim ex omnibus cimeliarchiis colligi poteſt tertia pars numiſmatum quæ vulgauit.

Primus quidem nummus in gente ÆMILIA reponendus eſt, ſiquidem ab Paulo Lepido Trium-Viri fratre percuſſus eſt, vt ex inſcriptione patet. Dea CONCORDIA fratribus fauere indicatur, quæ quò rarior inter fratres, eò pretioſior. Ad quid referatur iſte CLEMENTIÆ clipeus qui in auerſa parte ſcalptus eſt, nobis non liquet. Quòd is in eum morem fuerit fabricatus, qui in nummo Tiberii ex ære mediocri repræſentatur, nos in alicuius adulterationis ſuſpicionem deduxit; is tamen præſtat ſuper omnes adulterinos.

Secundus ad familiam ANTONIAM pertinet. Eundem typum repræſentat alter iam ab Vrſino editus, ſed cum his characteribus TVR qui hîc omnino deſunt. Quare poſt victoriam Parthicam ab Antonio reportatam, coniicere eſt & Decimum Turdum & alios Monetales monumenta in gloriam M. Antonij publicauiſſe.

Duo hi nummi ad AQVILLIAM gentem referuntur : Anteriores quidem nummorum facies ſiue Auguſti caput armatum aut radiatum repræſentent, ſiue Dei alicuius, iam cerni poſſunt in edito Opere: ſed poſteriores nulli,quod ſciam Aquillio competunt. Signorum militarium Romanorum a Phraàte Auguſto reſtitutorum, res eſt ita nota, vt vlteriori interpretatione non indigeat ; ſed cur Aquillio coniuncta eſt, quæ in Petronia gente cernitur? an iidem TriumViri monetales idem in monetis diuerſis ex profeſſo ſignauerint? an monetarij, aut Aquillij aut Petronij ſignis palam & indifferenter vſi, ſuum cuique ænigma tribuere non ſatis curauerint? judicent peritiores ; ſed certè hi nummi ſunt omnino indubitatæ antiquitatis.

Primus huius tabellæ numinus idem ille eſt qui inter CÆCILIÆ gentis nummos ſcalptus eſt, quique noſtræ editionis decimum quintum locum obtinet: ſi ſolam reſtitutionis notam excipias, quæ præter Quinti Cæcilij Metelli Pij Imperatoris characteres, IMPeratorem TRAIANum AVGuſtum GERmanicum DACicum Patrem Patriæ RESTitutorem huiusce nummi celebrat.

Alter ab eodem Imperatore reſtitutus eſt, nempè Optimo Principe Traiano. Similem iam Clariſſ. Vrſinus vulgauerat, quem tertio loco ſextæ tabellæ inter CORNELIÆ gentis nummos æri incidi curauimus. Equeſtris ſtatua vel ad Auguſtum ſpectat qui eâ erat donatus, vel ad ædes ſacras ab Auguſto reſtitutas: inter quas commemoratur Iouis Feretrij templum, in quo reſtituit opima ſpolia quæ Larti Tolumnio ad Fidenas interfecto, Coſſus detraxerat ac Ioui obtulerat. Coſſus autem cognomen erat gentis Corneliæ.

Sequentes duo Auguſtum repræſentant, qualem iam DVRMIVS ſignauerat : Iidem appoſiti ſunt characteres, ſed auerſæ partes plane à Durmij nummis differunt : vna Parthum ſigna reſtituentem exhibet, qualem Petronia, qualem ex ſuperioribus Aquillia. Altera currum ab elephantibus vectum, qualem iterum Petronia in ſeptimo noſtræ editionis nummo. Diſſimulare nequeo, eâ qua me ſinceritate formauit Iupiter, Abrahamum Gorlæum hoſce duos in ſuo ad Vrſinum appendice excudi curaſſe : vtinam eius momenti nummis tantùm incubuiſſet, quibus hiſtoria reſarciri atque illuſtrari poſſet.

Primus hic ſiue ad EGNATIAM referatur, ſiue ad FONTEIAM, bellè ſemper erit collocatus: cognomen enim Egnatij MAXSVMVS in eo legitur, quale in tertio eius gentis nummo. Auerſa pars in Fonteiæ nummo tertio ſignata eſt. Hirco inſidet Cupido, animali ſupra cætera laſciuo: ſtellæ galeris impoſitæ Διοσκόροι indicant, Caſtorem & Pollucem, Romanorum propitios Deos, de quibus paſſim.

Alterum in gente CORNELIA reponat quislibet, aut in gente IVNIA. Nummus indubitatæ antiquitatis, de quo nulla penitus fraudis ſuſpicio eſſe poteſt. Quo pacto & Cornelium SVLLAM & IVNium BRVTVM repræſentet, non facile eſt coniicere, niſi errore Monetariorum id factum eſſe cenſeatur. Quænam enim potuit eſſe coniunctio inter duos viros, nulla affinitate coniunctos, moribusque ita diſcrepantes. Tempora non conueniunt, cùm vnus alio quatuor ſæculis prior vixerit.



Eiuſdem erroris in huius tabellæ nummis ſuſpicio eſt. Secundi nummi NORBANÆ gentis auerſam faciem DOMITIÆ gentis ſexto coniunxerunt, in quo Roma galeata inter ſpicam & X denarij notam collocata eſt: Alter MÆCILIÆ gentis & PORCIÆ characteribus inſignitus eſt, ad quampiam earum referre Tibi licet. Gorlæus quidem eaſdem notas cum eadem quadriga repræſentat, ſed absque vlla Porciæ indicatione. Quamuis illi nummi nullas nos doceant hiſtorias, loco quem obtinent in hoc Theſauro indigni cenſeri non debent. Conducunt ad rei nummariæ antiquæ intelligentiam. Vix ſcitur an ij ex ſola fuſione metalli conflati ſunt: Cuſos fuiſſe conſtat ex figurarum & characterum nitore & elegantiâ. Cuius opinionis hoc adhuc præbent argumentum, ex diuerſis inſtrumentis quibus illorum formæ expreſſæ ſunt, *matrices* Galli vocant, vnum ex vna familia alteri diuerſæ admotum eſſe, ex quorum coniunctione vnus ſit conflatus nummus, cum duarum familiarum deſignatione.

Quinarius hic elegantiſſimum exhibet typum: Tripus cum ſimpulo & albo galero in ſecundo nummo SESTIÆ gentis apparet: ſella & congium ædilitatem indicant, & liberalitatem populo Romano factam. Seſtiam gentem ex eo patriciam fuiſſe conſtat; ſolis enim patriciis Ædiles eſſe licitum erat. *In Famil. Romanis.*

SERGIVS GALBA alterum nummum cudi curauit, qui Fulu. Vrſini dubium eleuat: niſi, inquit, ad Imperatorem ſeptimum pertineat, fere ſimili typo percuſſus qui in ſeptimo & octauo SVLPICIÆ gentis ſcalptus eſt, ei debet adſcribi *qui familiam Sulpiciam illuſtrauit, Conſularem temporum ſuorum eloquentiſſimum, quem tradunt Hiſpaniam ex Prætura obtinentem, triginta Luſitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriatici belli cauſam extitiſſe*, &c. Ab hoc enim ROMA RENASCENS in nummo adſcribi non potuit, neque id auſus eſſet: at Galba Imperator mortuo Nerone Rempublicam ſic vt ſeuerius ſic tutius adminiſtratum iri, hocce nummo dictitabat. *Sueton. in Galba.*

Nullum eſt dubium quin hicce nummus ad THORIAM gentem pertineat, ex appoſito tauro & characteribus, licet vltra morem barbaris. Iuno quidem Soſpita in hoc non cernitur, vt in Thoriæ gentis nummo, ſed caput illud fœmineum, quod quintum PORCIÆ gentis nummum occupat. VICTRIX legitur inuerſis quidem & confuſis literis quæ eandem Porciam adhuc indicant. De THORIÆ gentis numiſmatibus id ſuppetit dicendum, nulla eſſe alia antiqua tot exiguis notis ac ſymbolis diuerſis ſignata, quamuis idem caput ab vna parte, idem taurus ſit ab altera. Obſeruauimus primùm viginti quatuor Romanos characteres A, B, C, &c. deinde muſcas, cancros, aratrum, ſtellas, clauam, & ſimilia. An hæc denotent officinas monetarias, quemadmodum apud Gallos A Pariſienſem, B Rothomagenſem &c. an ipſos monetæ opifices, quemadmodum turris, lilium, ſtella apud nos etiam indicant illos ſcalptores monetæ, quos nouimus.

Famil. Roman.

Huius tabellæ nummis adscribere propria familiarum nomina, valde foret difficile. In vno quidem GENIVS Populi Romani repræsentatur, qualis ferè in nummo nono Corneliæ gentis: auersa facies differt, hîc enim corona quercea cum S.P.Q.R. designatione. Videtur is cuius post Iulij Cæsaris necem & libertatem, vt aiebant interfectores, restitutam.

Sequens coniecturam firmat in quo Dea LIBERTAS RESTITVTA cernitur, quemadmodum in Iunia gente signata est.

ROMA RESTITVTA quæ in duobus sequentibus legitur ad idem refertur cum diuersis simulachris : IVPPITER LIBERATOR & IVPPITER CVSTOS ei fauere prædicantur.

SALVS GENERIS HVMANI coniuncta SIGNIS militaribus Populi Romani, temporum indicat reparationem, partamque libertatem, quam armis tunc tueri erat necesse.

Ad id requirebatur FIDES EXERCITVVM & FIDES PRÆTORIANORVM, quæ in sequenti nummo tum vulgari typo tum inscriptione signatæ sunt. CONCORDIA PRÆTORIANORVM Deæ habitu prostat in altera, & FIDES EXERCITVVM, iuncta VESTÆ Populi Romani QVIRITIVM.

Quare non dubitarem hosce octo nummos ab Bruto & Cassio percussos fuisse, rebus adhuc stantibus necdum Augusto delatis. Quoniam autem neque Brutus Cassiusue aut alij indicantur, inter INCERTA numismata lubentius reponerem.

Appendicis vice hunc nummum apponemus argenteum, consularem, & maximi moduli, Græcis Latinisque characteribus insignitum, integerrimum, pretiosissimum. Legitur Publius LENTVLVS IMPERATOR quem eum esse certum est qui Consul fuit cum Q. Cæcilio Metello nepote. Cognomen Lentulus ab Spinthere histrione cui erat simillimus, accepit, vt Valerius Maximus & Plinius retulerunt. Proconsul ex Cilicia triumphum egit anno DCCII. qua in prouincia signatus est nummus: Publici iuris fecit Illustrissimus Seguinus duos huiusce magnitudinis & typi nummos, quorum alteri inscriptus est APPIUS PVLCHER qui Lentulo successit, alteri successor item in Ciliciæ Proconsulatu M. TVLLius Cicero IMP. Eos a Serenissima Christina dono acceperat & eruditè vt solet explicauit. Ad huius nostri vberiorem interpretationem memorandum venit M. Tullium Ciceronem qui Appio Pulchro intermedio P. LENTVLO successit, ei *In Select. numism.*

epistolarum libellum inscripsisse quibus vel PROCONSVLIS vel IMPERATORIS titulum semper præfigit, quod nummum nostrum mirificè illustrat. *Epist. 7.* In iis, istius etiam Proconsulatus mentionem facit his verbis, *Te perspicere posse qui Ciliciam Cyprumque tenes, quid efficere quid consequi possis. &c.* Quis & quantus fuerit noster hic P. LENTVLVS ex eadem epistola discas, *Te verò moneo*, inquit Cicero, *cùm beneficiis tuis tum amore incitatus meo, vt omnem gloriam ad quam a pueritia inflammatus fuisti, omni cura atque industria consequare, magnitudinemque animi tui quam ego semper sum admiratus semperque amavi, ne vnquam inflectas cuiusquam iniuria; magna est hominum opinio de Te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui &c.* ΑΠΑ quod in nummo legitur certè Apameam denotat, in qua percussus nummus esse videtur, vt in duobus aliis ΛΑΟ Laodiceam. Myiscum verisimile est Græcum vrbis Præfectum qui etiam græcis characteribus designatus est. De Imperatoris nomine dicendum Romanos id assumpsisse quoties hostes vicerant. Cicero autem cùm esset Ciliciæ Proconsul, victoriam quamuis exiguam nactus erat, occupato haud ignobili vico, & triumphaturus videbatur, si per arma civilia Cæsaris & Pompeij licuisset.

CAPVT

CAPVT IV.

DE NVMMIS ARGENTEIS *IMPERATORVM ROMANORVM.*

Ab huius generis numiſmatibus incipiunt frequenter Curioſi eſſe curioſos, quod & nobis contigit. Quò magis Imperatorum Romanorum hiſtoria cæteras antecellit, eô auidiùs inuitat quemque ad ſui notitiam : nihil fere legitur apud Principis illius hiſtoriæ Scriptores, quod hac ſerie non comprobetur. Plures deinde ſuperſunt in argento quàm in auro aut in ære ; excurrit ſiquidem illorum numerus ad duo millia. Ex tot vix vllus eſt, ſiue typos ſpectes ſiue inſcriptiones, quem non probes. Eos hîc apponemus qui aut nuſquam ſcalpti ſunt, aut noua aliqua interpretatione ornari poſſunt.

Iterum prodit nummus argenteus ex maximo modulo ab Antiochienſibus percuſſus. *Antiochias ſexdecim à Seleuco Nicatore conditas in memoriam paterni nominis* ſcribit Appianus, *quarum illuſtriſſima fuit Antiochia illa quæ ſub Libano monte condita erat.* Metropolim illam fuiſſe indicat cùm epigraphe tùm Joſephus his verbis, *Antiochia quæ Syriæ metropolis eſt magnitudine ſimul aliaq́ felicitate ſine dubio tertium inter omnes quæ in Romano orbe ſunt, locum obtinet.* Alludebat ad id quod tradidit Egeſippus, *Prima Roma, ſecunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Conſtantinopolis.* Præclaro habitu illa hîc deſignatur, capite ſcilicet turrito, palmam tenens, pedem imponens viro jacenti & veluti natanti. Hoc ænigmate videtur Orontes deſignari, fluuius qui Antiochiam præterfluit. Characteres cœteri periodum denotant quam æram vocant Chronologi: Eam ſibi propriam habuerunt vrbes plurimæ, quod antiqua marmora demonſtrant, & nummi plurimi quos vidimus ſcilicet Antiochiæ, Tyri, Sidonis, Aſcalonis, Gazæ, Gadarorum, Arabi, Cyrrhi, Amiſi, & aliarum.

De bello Judaico lib. 3. cap. 3.

Primus nummus Deam ſedentem exhibet, qualem omnes fere Tiberij nummi repræſentant: ex quo arbitror Tiberium ſuarum monetarum deſumpſiſſe ſymbolam: mirum profecto quòd is qui tot annos regnauerit, eâ ferè ſemper ſit vſus in nummis ex argento.

Sequens CONSECRATIOnem Auguſti refert, a Gallieno reſtitutam; hoc indicat metalli ratio, argentum nempe æri permixtum, quod *Billon* Galli vocant, & ſcalptura temporibus Gallieni congruens; quorum exempla in ſequentibus plurima ſubiiciemus. Ne tantorum virorum quibus ille ſucceſſerat, memoria intercideret, eum illos reſtituiſſe credibile eſt. Aquilam autem ſignabant, quò magis imperito vulgo illuderetur: Ea enim è medio rogo cui Imperatoris cadauer deurendum impoſitum erat, loris quibus deuinciebatur, accenſo igne libera eius animam in gremium Iouis deferre cenſebatur: Pauo Iunonis ales idem officium Auguſtis feminis præſtabat.

Duos Reges exhibet hæc tabella. PTOLEMÆVS REX legitur in primo nummo. Iuuenilis facies diademate ornata Iubæ filium repræsentat, de quo sic Suetonius, *Leue ac frigidum sit his addere quo propinquos amicosque pacto tractauerit*, Caligula. *Ptolemæum Regis Iubæ filium consobrinum suum, erat enim & is M. Antonij ex Selena filia nepos, & imprimis Matronem, ipsam Enniam adiutoris imperij quibus omnibus pro necessitudinis iure proque meritorum gratia, cruenta mors persoluta est.* Caputacris equi qui in auerso nummo cernitur patriam indicat. Illud inest semper Carthaginis nummis, de quibus dictum est in nostro libro *De Nummis ex ære mediocri.*

In Calig. cap. 26.

Alter Regem Thraciæ Cotim exhibet, qui in honorem Augusti innuendæ amicitiæ causa, suam hîc effigiem apponi curauit, cum ab altera parte ipse Augustus laureatus repræsentetur. Nummus quidem rudis ne dicam barbarus, si cælaturæ attendas, supra solitum spissior est & grauior.

Rari ſunt omnes illi fere nummi qui duobus aut pluribus Imperatoribus ſunt inſigniti: numerum auget primus hic qui Auguſti & Tiberij faciem exhibet, eum indicendæ adoptioni cuſum arbitramur.

Id attingere voluit Græca quædam ciuitas quæ ſequentem percuſſit, ſed quænam fuerit illa, neſcio.

Primus nummus ad Druſum refertur, de quo iam ſupra dictum eſt pag. 5. Arma Germanorum in trophæi modum erecta victoriam de GERMANIS ſignificant, penes quos tandem periit opt. Imperator.

Sequentem lubenter ad eundem Druſum referrem, niſi me ab hoc amoueret ille titulus qui circum caput legitur CÆSAR AVG. ceteris characteribus temporum iniuriâ detritis, quare aut Caligulæ aut Claudio tribui neceſſe eſt. Fortaſſis etiam Germanico Druſi iſtius filio qui ſic in nummis antiquis inſcribitur, C. CÆSaris AVGuſti PATER.

Duo hic proſtant nummi ex maiori modulo, Caligulæ & Claudij. Sedet ille Iouis inſtar inter ſeptem ſtellas quæ Planetas referunt, quibus ſe orbis terrarum Dominum indicaret.

Alter pretioſiſſimus eſt, tum propter raritatem tum propter integritatem. Notæ quæ circa collum apparent, temporibus Veſpaſiani ſuperadditæ videntur. Templum in honorem ROMÆ & AVGuſti ædificatum, hîc ſignatum eſt: tanta erat populorum Romanis ſervientium veſania, vt frequenter diſceptauerint quibus nam honor ille competere deberet. Exemplum illuſtre narrat Tacitus. Ipſi etiam Claudio templa fuiſſe ædificata ſcribit Seneca his verbis, *Parum eſt quod templum in Britannia habet, quod nunc Barbari orant & vt Deum colunt. Ad hæc*, inquit Tacitus, *templum Diuo Claudio conſtitutum quaſi ara æternæ dominationis aſpiciebatur, delectique ſacerdotes ſpecie religionis omnes fortunas effundebant.* De communi Aſiæ vide quæ Seldenus ſcripſit, cùm marmora Arundelliana eſt interpretatus.

l. 4. annal.



Hæc tabella ad Neronem pertinet : Prior eius nummus docet illum fuiſſe SACERDotem COOPTatum in OMNnibus CONLegiis etiam SVPRA NVMERVM EX Senatus-Conſulto: quod ſimpulo, tripode, lituo & paterâ ſignificatur. Hunc nummum ſic explicat Lampridius, *Aſſumptus eſt in omnia collegia Sacerdotalia ſacerdos, &c.* Primùm Iulio Cæſari hic honos conceſſus erat. *In Commodo Dio.*

Alter qui quinarius eſt longè eſt rarior : primis annis imperij Neronis videtur cuſus. Victoria dextro pede orbem calcat; clipeo videtur inſcribere quæ Nero facturus erat : ab ipſo enim plurima expectabantur, eratque magnæ ſpei adoleſcens qui peſſimus tandem factus eſt.

Nummus hic in Græcia ſcalptus eſt, ex inſcriptione Græca patet & cælandi modo. Ciuitatem characteres non ſatis declarant. Aquila fulguri innixa vt & palma referri videntur ad Ludos Olympicos quos frequenter Nero celebrauit; de quibus Suetonius plura ſcripſit. Illumque per virum Conſularem ſic præconium inſtituiſſe Græca voce, NERO CÆSAR VICTOR CERTAMINIS CORONAT POPVLVM ROMANVM ET SVVM ORBEM TERRARVM. Serpens extremo collo appoſitus in aliis eiuſdem Neronis nummis cernitur: de eo diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.* Omnes autem nummos argenteos ex maximo modulo raros eſſe nullus eſt qui neſciat.

In Nerone cap. 23. & 24.

Sex Galbæ nummi obiiciuntur, omnes eximii. Primus quidem HISPANIAm Galbæ patriam denotat, iaculis & clipeo ornatam: fruges habet in dextra, fertilitatis & abundantiæ indices: mirum quot & quanta de iſtis antiqui prædicent, cùm hodie ſterilem eſſe Hiſpaniam nemo eſt qui dubitet.

GALLIA & HISPANIA fœdus inire videntur iunctis dexteris, in gloriam Galbæ & Neronis odium: hæc ſcutum tenet & tela duo, quibus Hiſpani frequenter vtebantur. Illa ſcipionem, binaque gæſa, quæ Gallorum tela erant propria:

Virgil. *Aurea cæsaries ollis, atque aurea vestis*
Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur, duo quisque alpina coruscat
Gæsa manu scutis protecti corpora longis.

Ceterorum quatuor, quamuis indubitatæ antiquitatis, fere similes typi videntur in Consularibus incertis: quare arbitrarer illos omnes fuisse cusos Galbæ temporibus. Iis fortè ob libertatis quamdam indicandam speciem, nulla sculpta fuit facies: in aliis Galbæ videtur effigies sed absque Augusti titulo; quasi ille tantum Reipublicæ ob Neronis facinora labenti Præfectus esset: in iis etiam tantùm IMPERATOR nominatur, quod tunc temporis dignitatem minus indicabat quàm officium. Fortassis Galbæ in Neronem odium fecit vt ab eius dignitatibus & titulis abstineret. BONVS EVENTVS qui in quinto signatus est inter XII. Deos Consentes agriculturæ præsides à Varrone togatorum doctissimo commemoratur. Is à Plinio describitur qualis in nostro nummo cernitur *Euphranor*, inquit, *simulachrum* BONI EVENTVS *fecit, qui dextrâ pateram, sinistrâ spicam ac papauer tenet*; nihil illustrius. Eius templi superstant Romæ vestigia, inter Mineruam & sanctum Eustachium.

Lib. 1. de re rustica.

Lib. 55.

Othonis nummos omnes mirantur qui non ſatis norunt: audiuerunt de illorum raritate diſſerentes, quare aut nullos aut paucos eſſe arbitrantur: id tantùm de æreis intelligendum eſt: permultos enim habemus ex auro & argento : exempla ſunto quatuor hæc numiſmata, quorum qui typos viderit & interpretationem facile nouerit.

Vitellii raros duos nummos habes : Is eſt qui ſe victorem primùm, deinde ad imperium euectum victum vidit , Imperatorem Romanum & paulo poſt, ad Gemonias excarnificatum. Summo honori

ſucceſſit ſumma infamia: Primus nummus Lucium Cenſorem exhibet, quem eius patrem libens coniicerem, quamuis fratrem habuerit eiuſdem nominis: Alter filios. Suetonius vnius tantum mentionem facit qui cum patre periit. Frequenter nummi ſupra libros docent.

Suet. in Vit. cap. 18.

Ex Veſpaſiani ſummis hos quatuor elegimus qui plurimùm ad hiſtoriam faciunt. Nihil illuſtrius trophæo illo DE IVDÆIS poſt exciſam Hieroſolymam, Judæam deuictam & deletam fere totam gentem. Eundem typum in nummo aureo vidimus Vindobonæ, in cimeliarchio Cæſareo. Nummi ſunt plurimi ex ære mediocri qui rem declarant, de quibus aliâs. VICTORIA IMPERATORIS VESPASIANI in altero legitur: rarum id arbitror & viſu dignum. Titus & Domitianus ſtantes togati ſacrificantes in ſequenti cernuntur, cuius etiam notanda venit inſcriptio: Epheſi videtur cuſus, ob appoſitum EPHE. Poſtremus a Gallieno Imp. reſtitutus eſt.

Eos omnes ſuperat & raritate & dignitate nummus iſte ex majori modulo, quem hic apponi curauimus. Græcus eſt, indicat is annum nonum ab ædificato templo Capitolini Iouis, quod imperante Vitellio crematum fuerat : cuius quidem reſtitutionis deſignationem illuſtriorem reddere conabatur Veſpaſianus noua indicta periodo. Imp. Triſtanus hunc vulgauit nummum. *Commen. hiſt. tom. 1.*

Præclarus quidem mihi videtur ille Victoris Titi habitus : haſtam dextrâ, ſcipionem ſiniſtrâ tenet paludatus Imperator, orbem pede calcans. Proxima ipſi eſt Iudæa lugens ad palmam, quæ eius eſt ſymbolum, ob exciſam Hieroſolymam. Alter per Gallienum Imp. reſtitutus eſt. *Ioſeph. in Antiq. Iudaic.*

Domitiani hos nummos cudi curauit. Germaniam in primo proſtratam exhibet quam viciſſe ſe iactitabat; *quamuis ex ea cum exercitu ſit reuerſus, hoſte nunquam viſo.* Mœrens & lugens ſuam fortunam videtur illuſtris hæc & optima prouincia, quaſi tam ignauo & veſano Imperatori ſeruiret. *Sueton.*

Sequens Salium & columnam exhibet, LVDorum SÆCularium monumentum.

Ceteri duo Quinarij ſunt, quibus ſuam gloriæ auiditatem caducæo & Victoriâ teſtatur Domitianus, quaſi poſt deuictos barbaros S.P.Q.R. pace tranquillitateque gauderet.

Et Augustus & Augusta in primo nummo cernuntur, quod nummi semper adauget raritatem. Qualis fuerit DOMITIA, consulatur Suetonius.

Nummus alter Pauonem exhibet auem Iunoni sacram, indicendæ cum Ioue CONCORDIÆ. Deis similes se profitebantur Imperatores Romani, mortui fere omnes consecrabantur; Domitianus se Deum Dominumque viuus nominari iussit. Libenter audiit sibi & vxori acclamantes DOMINO ET DOMINÆ FELICITER. *Sueton.*

Domitiani & Domitiæ filia fuit DOMITILLA, quam refert primus hic nummus. Fortunæ typum frequenter vsurpatum fuisse ab Imperatoribus & Augustis, nummi palam testantur.

Numum Neruæ ideo apposuimus, qui probaret aut eum OPTIMVM PRINCIPEM dictum, aut posticæ parti numi Traiani adhibitam fuisse anticam Neruæ: quod sæpe apud antiquos accidisse notauimus.

Quam rari ſint nummi Imperatorum Romanorum Græcis characteribus inſigniti norunt omnes qui nummos tractant. Traiani ſex eius ſpeciei exprimi curauimus, quorum quidem inſcriptiones nil aliud quam tribuniciam poteſtatem denotant & annum conſulatus : Attamen typi ſummopere ſpectandi veniunt. De monte Cæſareæ dictum eſt in libro *De numiſmatibus ex ære mediocri.*

Camelum ſignatum eſſe in ſequenti, nemo inficias ire poteſt, qui Arabiam deſignat: dimidiatus quidem cernitur in alio nummo eiuſdem Imperatoris cum hac epigraphe ARABia ADQVISita: Ex quo vir quidam cetera doctus ſtrutiocamelum eſſe contendebat.

Vbique terrarum fere colebatur Iuppiter cornutus ſeu Ammon: Ægyptos tamen & Syria in eius honorem frequentes nummos ſupra ceteras orbis prouincias cuderunt.

Noctua inſidens lyris, in aliis etiam quam Traiani nummis ſignata occurrit, Apollinis & Mineruæ fauorem indicat: ſequens concordiam exercituum deſignat, alter libertatem: qui quidem poſtremi typi in nummis Neruæ ſed cum Latinis characteribus occurrunt: An Græci id fuerunt imitati?

Latini hi duo nummi CONSECRATIONEM referunt a Gallieno Imperatore reſtituram: in iis tum ara tum aquila expreſſa ſunt conſecrationis nimirum typi.

DIANAM PERGamenam in hoc nummo legunt, quòd illa in tota fere Asia colebatur: at nos PERGæam. Perga enim vrbs est Græciæ Dianæ sacra: vide nostras interpretationes ad nummos ex ære mediocri. Quantùm autem valeant omnes argentei nummi ex maiori modulo, vel ex eo intelligas, nos etsi tenuissimæ fortunæ lubenter mille thaleros repensuros ei, qui nobis quinquàginta priorum Imperatorum Roman. numismata istius conditionis venalia obiiceret.

Plotina sanctissima fœmina in superioribus ex auro signata est, de ea dictum est. pag. 9. Eius nummos ex omni metallo raros esse intelligas.

MARCIANA & MATIDIA eadem veneratione ſpectari debent. Illa Plotinæ ſoror fuit, quidam ſcribunt Traiani : hæc illius filia. Aquila ſiue ſceptro inſiſtat, ſiue fulguri, ſummam ſemper indicat dignitatem quam in Diis & in Auguſtis Maieſtatem nuncupant. A Ioue miſſa cenſetur quæ Marcianam in cœlum detulerit. Iouis autem inſtar erat optimus Princeps Traianus, qui omnibus artibus optimæ ſororis gloriam poſteris commendare conatus eſt, *Marcianopolim in Myſia condidit &c.* inquit Iornandes. *De rebus Geticis.*

Nummus alter Matidiam repræſentat : Auerſus typus eamdem ſub habitu PIETATIS exprimit duas filias fouentis : erant illæ nimirum Sabina Hadriani vxor & Matidia iunior, quam ex Velſero V. Cl. aliam eſſe à Matidia auia cognoſcimus.

Ceterùm obſeruandus venit capitis ornatus in vtroque nummo, antiquitatis curioſis & Pictoribus & Scalptoribus non iniucundus. Earum ora & ornamenta, præcipuè quod ad caput attinet, vidiſſe non tædebit.

Luſtratas ab Hadriano omnes imperij prouincias nemo non noſcit, qui aut hiſtoriam Romanam aut nummos antiquos deguſtauerit : præclariſſima iſtius itineris ſuperſunt monumenta in marmore & lapidibus, pretioſiora in auro, in argento, in ære. Horum aliquot hic apponi curauimus exempla, quorum interpretationem, adeo facilis eſt, nullum poſtulaturum arbitramur.

Quatuor hîc habes nummos in honorem Hadriani cuſos ob prouincias reſtitutas : Vbique Imperator ille benè fecerat futuris Imperatoribus exemplum. *Profectus in Gallias* inquit Spartianus, *omnes fere cauſſarijs liberalitatibus ſubleuauit.* Id ad primum nummum attinet.

Secundum etiam explicat ille Spartiani locus, *multùm beneficiorum prouinciis Africanis attribuit.*

De Hiſpania & eius ſymbolo cuniculo, dictum eſt in nummis *ex ære mediocri.*

Achaia ſuum gratitudinis teſtimonium quarto nummo refert, quòd Hadrianus cùm de omnibus nationibus Imperio Romano ſubditis, tùm de Græcis eſſet optimè meritus. Achaia autem quæ Græciæ prouincia eſt nobiliſſima, Hadriani temporibus pro tota Græcia ſumebatur. *Lipſ. in Tacit. lib. 1. Ann.*

Duos dein nummos habes perraros. Primus solâ inscriptionis declaratione explicatus est. Alter
Spart. ADOPTIONEM celebrat, quâ imperium adeptus est Hadrianus, *quamuis non desint qui factione Plotinæ mortuo iam Traiano, Hadrianum in* ADOPTIONEM *adscitum esse prodiderint, suppositio qui pro Traiano fessa voce loqueretur.* Vt vt sit, fabula ipsi profuit, quare percussus nummus, in quo vno ex antiquis, ADOPTIOnis mentio facta est.



Sola raritas numi effecit vt iste hic reponeretur. Inusitatum erat Imperatores Romanos tantæ molis nummos cudi curare, quare in cimeliarchiis curiosè debent asseruari.



Sabinam morosam fæminam vxorem Hadriani exhibet hic nummus, sed cui quo pacto conueniat posticæ partis inscriptio, non satis scio, nisi hanc Sabinæ adaptatam dicas, quæ Hadriano esse debuit: is enim indicatur Pater Patriæ Cos. III. quod Sabinæ conuenire nequit.

Cæsareæ hunc montem tribuunt, & meo quidem iudicio rectè. De eo diximus in libro *de Nummis ex ære mediocri.* Is frequenter occurrit in nummis antiquis.

In duobus ſequentibus iterum prodeunt reſtituti nummi per Gallienum in gratiam optimi Imperatoris Antonini Pij. Quantum potuimus huius generis nobis comparare, fecimus: quò omnes ferè Imperatorum nummos a poſterioribus reſtitutos fuiſſe probaremus.

Imperatorum Romanorum gloria in conſignandis rerum a ſe geſtarum monumentis ea fuit quæ quemlibet ſuperet deſcriptionem. Patet etiam ex nummis quorum flandorum ius interdum tributum eſt vxoribus, liberis, agnatis & amaſiis.

In defunctorum commendationem id ſæpe factum fuit, quò intelligerent Poſteri diuinos honores ipſis decretos fuiſſe: quaſi S. P. Q. R. aut ipſi Imperatores aliquid præſtare potuiſſent, quod homines ſuperet.

ÆTERNITAS Fauſtinæ decernitur in primo nummo, quam per aſtrum indicabant. At quid tandem factum eſt de tot ſuperbis capitibus quæ Chriſtum neglexerunt? *laudantur vbi non ſunt, cruciantur vbi ſunt.*

DEDICATIO ÆDIS quæ in altero Fauſtinæ nummo legitur, pertinet ad honores ipſi ab Antonino marito delatos, de quibus adeundus Capitolinus.

Tertius nummus eamdem Fauſtinam exhibet: Eius auerſum typum, quamuis genuinus ſit, ad Fauſtinam reuocare nemo poteſt: quid enim illa cum TRibunicia Poteſtate? quid cum CONSulatu? certè ad Antoninum aut M. Aurelium pars poſtica pertinet.

Quartus Concordiam exprimit quam coluiſſe cum viro vxor gloriabatur. Id omnibus vxoratis non competit: etenim

--- --- *Pauci quos æquus amauit.*
Iuppiter.

Si cuiuſquam veneranda facies poſteris conſignari debuit, id meritò contigiſſe M. Aurelio æquum erat, cuius ſapientiam & mirantur ipſi Chriſtiani: Fortis in bello fuit, clarus in pace, domi philoſophus: nihil ipſi ex humanis defuiſſet, ſi parem ſibi ſapientiâ nactus fuiſſet vxorem: in diuinis, ſi Chriſtum coluiſſet. Ara ipſi cum CONSECRATIONIS nota per Gallienum reſtituta eſt. *Senatus Marco & Fauſtinæ decreuit ſtatuas argenteas Romæ in templo* Dio. *Veneris collocari; aramque extrui, in qua virgines omnes quæ nuberent in Vrbe, ſacrificarent*

FAVSTINÆ VT MATRI CASTRORVM primus nummus dicatus eſt: hæc virum ad bella properantem interdum eſt comitata; interdum redeuntem ita excepit vt ſe Venerem quaſi Martis victricem in nummo ex ære repræſentauerit. Suam prædicat FECVNDITATEM dum Charitatis inſtar quatuor fouet puerulos.

Eodem prorsus typo Fecunditas hic repræsentatur : Romanorum felicitatem fortassis indicat : PΩMAIΩN enim exactè legitur in nummo qui vt rarissimus, sic est pretiosissimus. Detritum prius inscriptionis verbulum hanc declarationem eripit. Vehementer doleo quòd Græca ciuitas quæ nummum percussit, in eo signata non fuerit. Mirum quam paucæ designentur in nummis argenteis cum fere semper in ære mediocri sint impressæ.

Eandem FECVNDITATEM celebrat Lucillæ nummus, quæ fuit vxor Veri, quamuis ex eo nullos habuisse liberos superstites legerim. Post eius mortem nupsit illa Claudio Pompeiano, deinde à fratre Commodo interfecta est.

Vesanum Imperatorem si vnquam quisquam fuit, Commodum fuisse nemo negabit : testes vltro sint huius tabellæ nummi , in quibus se Iouem, se Serapidem, se Apollinem, se Martem, se Herculem fingebat, vno verbo omnibus omnia. Se AVCTOREM PIETATIS asserit qui summè erat impius: PIETATEM SENATVS per nummum colere videtur, cùm tamen Senatores omnes propria manu necare habuerit in animo ; quo enim propiùs Herculem imitari videretur, se hæcce monstra, sic Senatores nominabat,

deleturum iactabat; quare etiam *Carnifex ſenatus* dictus eſt. *Accepit ille ſtatuas in Herculis habitu, eique immolatum vt Deo.* Lamprid.

TEMPORVM FELICITATEM, FELICITATEM PERPETVAM & SECVRITATEM ORBIS ſe imperante ſtabilitas eſſe per ſequentes nummos gloriatur. *Illum Seuerus odio, vt videtur Senatus, inter Deos retulit, Flamine addito, quem ipſe ſibi viuus parauerat,* HERCVLANEO COMMODIANO. Lamprid. in Comm.

Poſteriores duo à Gallieno Imp. reſtituti videntur.

CRISPINÆ numinum hic appoſuimus, qui rem frequenter à nobis expoſitam probet. Anticis nimirum Imperatorum nummis poſticas facies immutatas fuiſſe. Certum eſt enim Criſpinam AVGVSTI PII FILiam, ſicut in nummo legitur, non fuiſſe, ſed ei adſcriptum fuiſſe & titulum & typum qui ſoli Fauſtinæ conueniebat. Id ad Monetariorum incuriam lubenter traduceremus.

Commodo ſucceſſit PERTINAX, qui tandem ab iiſdem interfectus eſt à quibus ad imperium euectus fuerat. Eius quatuor nummos ſubiecimus, rariſſimos, integerrimos. Mentem Imperatoris declarant, & æquam erga homines & piam erga Deos.

Eius ſucceſſor DIDIVS IVLIANVS rarò in nummis cernitur ex quouis metallo : attamen ærei frequentius occurrunt. Videre non licuit ex argento alios eius typos, quam qui in hiſce nummis ſignati ſunt. CONCORDIA MILITVM celebratur cuius ope, pacto tamen pretio, adeptus erat imperium. Fortunam in altero precari videtur Imperator, vt videlicet diuturna ſit quæ ſumma erat tunc temporis.

MANLIA SCANTILLA eius vxor AVGuſta legitur. Solebant autem Auguſtæ aliquam ſibi ex Deabus eligere quam precarentur & propitiam conciliarent. Hæc ſupra ceteras fœminas euecta, Dearum maximam IVNOnem REGINAm, ſibi pro ſuo typo elegit.

Inter omnes nummos exſtant rariſſimi qui ex quouis metallo PESCENNIVM NIGRVM referunt: Procul is ab Vrbe regnauit, in Aſia ſcilicet, idque neque diu, neque pacificè. Sive itaque paucæ eius conflatæ fuerint monetæ, ſiue propter tantam locorum diſtantiam, abſumptæ aut deperditæ fuerint, ſiue Seuerus abolendæ eius memoriæ eas fudi curauerit, certum eſt rariſſimas eſſe, quas nullo pretio venales noſcimus, & quæ deficiant in plerisque cimeliarchiis. Dignus erat bonus ille Princeps meliori ſorte. Auerſas facies explicauimus in libro *De nummis ex ære mediocri.*

Plerique Albini nummi Cæſaris dignitate ſunt inſigniti, quam acceperat à Seuero. Ille tamen in quinque poſterioribus huius tabellæ AVGuſtus dicitur. Mirum quam vultu differant à ſuperioribus: hi barbatum quidem Albinum repræſentant, ſed illi prolixam & criſpam eius barbam exhibent, quâ ille prorſus à ſe diſſimilis pingitur. Coniectura eſt primos in Italia cuſos, alteros in Gallia; ibi enim ſolus imperabat. Victus à Seuero propè Lugdunum ſeipſum interfeciſſe dicitur; caput eius exciſum Romam delatum eſt, ob ignominiam.

Felicior SEVERVS ſummam rerum adeptus eſt, quod vt PROVIDENTIÆ Deorum id ſe debere declararet, hanc cum Meduſæ capite in primo nummo ſignauit.

ÆTERNITATEM deinde IMPERII demonſtrat per filios Carallam & Getam. Ad illum referri poteſt quod dictum eſt Maximiano & Conſtantino. *Maximas itaque vobis, Æterni Principes, gratias agimus, quod ſuſcipiendis liberis optandisque nepotibus ſeriem veſtri generis prorogando, omnibus in futurum ſæculis prouidetis: vt Romana res olim diuerſis regentium moribus fatisque iactata, perpetuis Domus veſtræ radicibus coaleſcat: tamque ſit immortale eius imperium quam ſempiterna ſoboles Auguſtorum.*

In Panegyrico.

Ad Getam pertinere videtur tertii nummi pars poſtica, tum quòd eius nummi ſuppetant ſimili typo & ſimili inſcriptione, tum quòd Seuero conuenire non poſſit hæc inſcriptio PRINCeps IVVENTutis, cùm hic nonniſi prouectâ ætate factus ſit Imperator.

Quartus Seueri caput exhibet Iuliæ coniunctum: coniunctiones autem iſtæ ſemper in nummis raritatem arguunt.

Primus hic nummus græcus eſt, Cæſareæ cuſum fuiſſe inſcriptio docet, poſt adeptam de Peſcennio Nigro victoriam, quæ globo inſiſtens palmam ſiniſtrâ tenet: Coronam impoſitura videtur victori Seuero, orbis imperio tunc temporis pacificè fruenti.

Alter CONSECRATIOnis eſt monumentum quod Gallienus reſtituit, id in plurimorum Impp. gloriam præſtiterat, quorum nummos ita reſtitutos ſupra ceteros ſpectabiles eſſe cenſemus.

IVLIA nummos clariſſimos nobis conſignauit. Primus illam exhibet vt Cybelem in curru triumphantem, à quatuor leonibus vecto. Illa genitis à ſe Diis non magis ſuperbiebat, quam hæc Caracallâ & Getâ. Nec eorum tantùm matrem ſe nuncupabat ſed SENatus, ſed etiam PATRiæ, ſicut in ſecundo legitur. An vlla vnquam fæmina illuſtrioribus titulis gloriata ſit? Adde quod in alio nummo veluti altera Cybele ſe MATREM DEVM dixit.

FECVNDITAS aut potius Iulia ipsa iacet in altero, quatuor stipata infantibus. Seu anni tempora interpreteris, seu Caracallam & Getam & duas filias, congrua semper erit coniectura : plura circa hunc typum diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.*

Tres sequentes eundem Monetariorum errorem indicare videntur : non solebant enim Romani VICTORIAM Imperatorum vxoribus apponere, quæ in quarto & quinto signata est, nec BONVM EVENTVM; certum est hos omnes typos esse Seueri : præsertim cùm inscriptio quinti ad Pescennium Nigrum referri possit, qui IVSTVS cognominabatur.

Sextus Caracallæ faciem exhibet in nummo Iuliæ, siue huius ille fuerit filius, siue priuignus.

Postremi duo Cæsareæ percussi sunt, quam, quòd Iulia Syra erat, eam esse putant quæ est in Syria. At auersæ partes certè pertinent ad Cæsaream Cappadociæ metropolim. Primùm enim hoc vrbi cognomen in nummo scriptum est : Deinde mons Argæus signatus, iuxta quem condita Cappadocia. Κεῖται ὑπὸ τῷ Αργαίῳ ὄρει πάντων ὑψηλοτάτῳ καὶ ἀνέκλειπτον χιόνι τὴν ἀκρώρειαν ἔχοντι. Deinde illa vrbs etiam suos nummos Seuero dicauerat, quare suspicio est similes honores Augusto & Augustæ ab eadem delatos fuisse.

Caracalla hîc eum ſibi vindicat habitum quem nummi Traiano tribuunt, poſt deuictam Armeniam & Meſopotamiam: Haſtam tenet & ſcipionem, captiuis hinc inde proſtratis & iacentibus, manibus à tergo reuinctis: hoc typo nimirum ſe hoſtes ſuperaſſe iactitat. In ſequenti, inſcriptio adiecta eſt rem apertius declarat, VIRTVS AVGG.

In tertio SALus GENeris HVMani legitur, quemadmodum in nummo Galbæ; hic tamen typus inſolentior: Caracalla enim ſub habitu Deæ Salutis, genus humanum ſubleuare videtur, quamuis ad id natus cenſeretur, qui illud deſtrueret. Sequenti ſe PACATOREM ORBIS prædicat; at ſemper id in ſpe fuit, nunquam in re.

Duos iſtos Getæ nummos & typus notandos facit & inſcriptio; vnus illum tantùm Cæſarem, alter Auguſtum indigitat. ÆTERNITATEM IMPERII in eadem familia deſignant tot virilia capita, Seueri nempe, Caracallæ & Getæ. Fortuna decumbit quaſi poſt tot iactationes firmam ſe, ac in Seueri familia permanſuram polliceretur.

MAMMÆAM prudentiſſimam fæminam hic quinarius exhibet; propter quem lubet & id palam facere, quod dicebat Amicus quidem meus: ſe pro quinquaginta priorum Imperatorum Quinariis venalibus, ſi ij occurrerent, quingentos Thaleros daturum. Pretium tunc ſola raritas efficeret.

ALEXANDER SEVERVS à Gallieno nummos habet reſtitutos, cum CONSECRATIOnis monumentis. Aquila & ara nihil aliud indicant.

GORDIANI duo fuerunt, ex Africa quam rexerant AFRicani cognominati, pater & filius; vterque Senatui Populoque Romano gratiſſimus, contra Maximini tyrannidem ad imperium euectus eſt: At infeliciſſima morte obierunt, ſiquidem alter gladio alter laqueo vitam finiit. Illorum nummi ſunt rariſſimi ex quouis metallo: argentei ſupra æreos, aurei ſupra ceteros. Quòd iisdem vſi ſunt & prænominibus & dignitatibus, vix à ſe inuicem dignoſci queunt: priorem tamen ad patrem, alterum ad filium ſpectare ſuſpicamur.

PHILIPPVM hunc tradunt Christianum fuisse. In eius honorem hosce duos nummos scalpi curauimus, magna & tamen simpliciſſima inscriptione insignitos. PAX FVNDATA CVM PERSIS in primo cernitur, in alio SPES FELICITATIS ORBIS, nihil Principe Christiano dignius. Scopum videtur attigisse alio nummo in quo FELICITAS ORBIS: sed quòd ita frequenter occurrat, sponte omisimus.

Nummus hic tùm Imperatore tùm inscriptione spectabilis est, P. CORN. SAL. VALERIANVS CÆSAR Gallieni filius: Eius numismata à Valeriani iunioris nummis differre declarauimus, cùm egimus *De nummis Impp. Romanorum ex ære mediocri.*

DII NVTRITORES elegantissimè hic scribuntur & Iupiter & Gallienus; huic Victoriam alter præbet, quâ contra hostes P.R. vsus est, & contra Tyrannos

seu imperium ambientes. Cæterum tum *Dij Patrij*, tum *Dij Genitales*, tum DII AVSPICES in nummis leguntur, at hoc excepto nusquam quod sciamus DII NVTRITORES.

Ex maiori modulo quicunque occurrunt nummi rari sunt; ii præcipuè qui sunt argentei. Inter eos non ignobilem locum tenet magnus hic Gallieni nummus, cum tribus Monetis, ex auro scilicet, argento & ære. Is erat Valeriani filius non minus per infelicitatem parentis notus quam per sui ipsius meritum.

Eius VXOR SALONINA sub habitu Romæ cernitur, exiguæ victoriæ simulachrum Gallieno viro suo tradens, post deuictos scilicet & oppressos plures Tyrannos: At non omnes oppressi sunt.

Vtrosque POSTVMOS exhibent hi nummi. Parens in primo se veluti PACATOREM ORBIS sub specie Solis nuncupat. Rarum eius nummum ex auro supra vulgauimus pag. 13.

Vtriusque facies in altero cernuntur, ambæ seniles cum typo eximio. Cerberum ab inferis educere videtur HERCVLES IMMORTALIS, cuius personam in terris sustinere gloriatus est Postumus. Testes sunt eius nummi, in quibus legitur HERCVLI DEVSONIENSI, HERCVLI MACVSANO. De his dictum *in nostris nummis ex ære mediocri.* Cæterùm istius fabulæ quæ apud antiquos ita trita est de tricipiti illo cane, meminit ingeniosus Palæphatus, rem ad historiam traducens: quippe cùm ille Cerberus canis fuerit Geryonis bobus coërcendis, quem ex antro in quo latitabat Hercules abduxit.

Tyrannorum ferè omnium nummi rari ſunt; cauſa eſt in promptu, & quod citò fuerunt oppreſſi, & quod victores eorum memoriam delere conati ſunt, quæ nummis perpetuari potuerat. Per Tyrannos autem caue ne malos Principes hîc intelligas, ij cenſentur quibus aliena victoria hunc indidit titulum: Victo Tyranni, vincenti Imperatoris erat nomen, ſicut & omnia. ÆLIANVS qui hunc nummum percuſſit *temporibus Gallieni oppreſſus eſt apud Moguntiacum.*

Aurel. Victor.

Capto à Perſis Valeriano, ſocordiam Gallieni ſuſpicientes exercitus, MACRIANVM ad imperium euexêre, cum duobus filiis Macriano & Quieto. Nummum hîc habemus Macriani filij, id enim denotat iuuenilis ætas, cum pater ante ſuſceptum imperium *ſe ſenem dixerit.* Vterque in Illyrico victus eſt & interfectus ab Aureolo.

Trebel. Pollio.

De PROBO diximus satis in nummi aurei expositione, pag. 14. Spectanda venit hæc insignis ADLOCVTIO, quæ omni ex parte nummum hunc commendat; addas quod magni sit moduli & summæ exstantiæ.

DIOCLETIANVS ille est vir fortissimus *ob sapientiam delectus* qui nisi in Christianos sæuijsset, tot gestis rebus glorioſis, maiorem adhuc sibi famam conciliasset. Eum abdicasse imperium nemo non nouit. Suam IOVI TVTATORI deuotionem patefacit, qui sic dictus est quasi Imperatores haberet in tutela. *Aurel. Victor.*

Sequentis nummi inscriptio notabilis est, cùm huic typo est coniuncta: vt enim in nummis

Antonini, fulmen PROVIDENTIAM DEORVM ſignificat, quo gigantes aut impios obruere poſſent; ſic caſtra, ſic munimenta, ſic fides militum & concordia Auguſtorum, quæ in hoc nummo cernuntur, PROVIDENTIAM exhibent Imperatoris, quibus quoscunque hoſtes poſſit expugnare & ſuperare.

CARAVSIVS occupare tentauit imperium, & Britanniam per ſexennium tenuit. Dolosè ab Allecto tandem oppreſſus eſt: qui paulo poſt pœnas luit: Eius nummi omnes rari ſunt, & hic præcipuè qui eſt argenteus, cùm illis temporibus moneta ex adulteratis metallis conflarentur: Mixtam illam metallorum molem ex ære & argento Galli *Billon*, vocant.

Hunc nummum THEODORÆ pertinere arbitramur ad alteram Conſtantij Chlori vxorem, filiam Maximiani. ob quam repudiata eſt Helena. Repugnant amici quidam mei eam Iuſtiniani

vxorem censentes: At huic nummo FL. MAXimiana inscribitur. Dicunt Iustiniani vxorem Theodoram PIETATEM ROMANAM signasse, quòd ipsa maritum monuerit, & ab insidiis liberauerit. Id etiam Theodoræ Constantij conuenire potest. Quinarios vocant Antiquarij istos nummos qui dimidii denarij pondus non superant: Iste est eius generis, & ex argento puro.

CONSTANTIVS Magni Constantini filius fuit. Illius aliquot nummos exhibemus ex argento, quorum exactam magnitudinem scalpi curauimus illustris est profecto titulus iste, TRIVMFATOR GENTIVM BARBARARVM, illustre labarum, quod in eorum nummis frequenter occurrit. De eo abundè diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.*

Coniectura est eosdem Constanti dicatos esse nummos, quam fratri Constantio : Hi duo sint pro omnibus satis per se noti sunt.

Scenam claudet EVGENIVS, qui *Litterarum latinarum Doctor*, Arbogaste promouente, post occisum Gratianum Gallias occupauit, & Augusti nomen & dignitatem arripuit; paulò post oppressus est à Theodosio, capite mulctatus, & Tyrannus habitus. Eius nummi sunt rarissimi.

CAPVT V.

DE NVMMIS ÆREIS

Ex maximo modulo.

Tot & tanta in hac numiſmatum ſpecie continentur, vt illa nullo raritatis habito reſpectu, quæ tamen ei ſupra cæteras ſumma ineſt, primum inter res antiquas mereretur locum. Quòd mole & magnitudine Romanas ſuperent monetas, id gallicè nomen indidit MEDAILLONS, ab Italis deductum. Eorum numerum quis definiret? Compertum tamen habemus Sereniſſimam Reginam Chriſtinam ferè ducentos varios iſtius ſortis poſſidere, quos ſummo labore, ſummaque felicitate (vtrumque enim requiritur) adquiſiuerat Illuſtris Gottifredus. Quot inſuper poſſideat Rex noſter Chriſtianiſſimus, ex eo intelligi poteſt, quòd Sereniſſimo eius Patruo Gaſtoni, neque in conquirendis diligentia defuit,

neque in acquirendis liberalitas. Exiguam ne putes Ill. Abbatis Seguini ſedulitatem, qui huius ſpeciei nummos tot penes ſe coëgerat, quot vllus ante eum Gallus, idque vt venuſtiſſimo corpori caput imponeret nobiliſſimum, resque omni ex parte pretioſas, pretioſiores efficeret & in LVDOVICI XIV. manus pretioſiſſimas refunderet. Quod nos ſupra modum delectat, facit ineffabilis Illuſtriſſimi Colberti cura. Qui poſtquam ſe totum Regi regnique rationibus tradidit, id ſuarum eſſe partium cenſet, his theſauris amplificandis, nulla negligere ſtudia: hæcque vt magis magisque promoueat, nulli parcit æri, tum in erigendis ad vſum tam magnificum palatijs, tùm quo viros alliciat in hac eruditionis parte, Regis regnique & ſuæ gloriæ ſuffragaturos. Quanto amore Auguſtiſſimus Imp. LEOPOLDVS iſtis æui priſci pignoribus delectetur, teſtis & ipſe ſum: teſtes ſunt omnibus cimeliarchia eius ſuperbiſſima, Vindobonæ, Oeniponti, Pragæ. Summis certè Principibus digna eſt hæc ſuppellex & ijs ſolis digna: vtpote quæ doctæ curioſitatis omnem adimplet paginam. Rariſſima quæ hic habemus exemplaria publici iuris lubentiſſimè facimus, quæ neque per temporis anguſtias, neque per tenuitatem ad amuſſim licet explicare. Copiam relinquimus facundioribus, fide noſtrâ primùm datâ, nos non niſi res antiquas ſcalpi curaſſe, neque vllos in nummis characteres mutaſſe.

In honorem Senatus Romani cusum est hoc monumentum. Quò venerabilior ab omnibus censeretur, SACRI cognomen à Græcis adulantibus ei inditum est : cuius quidem dignitatis siue cognominis duodecim exempla à diuersis populis signata curauimus scalpi in libro *De nummis ex ære mediocri.*

THYATIRENI ET SMYRNÆI vicini Asiæ minoris populi, vnanimi consensu nummum cuderunt. Illi sub habitu Deæ signantur : Caput cingunt turres in coronæ formam, quibus vel Vrbes ipsæ vel Genij vrbium fingebantur. Smyrnæi frequenter occurrunt in antiquis numismatibus sub habitu viri clipeum tenentis & bipennem : coniectura est sub eo latere Amazonem quæ Smyrnæ nomen dedit : Σμύρνα δ' ὢν Ἀμάζων ἀφ' ἧς τὸ ὄνομα, καὶ τοῖς ἀνδρώποις καὶ τῇ πόλει, inquit Strabo. Vtraque autem figura simulachrum habet præ manibus, arâ intermediâ. Lib. 14.



Elegantiſſimum hoc numiſma à TEMENOTHVRITIS cuſum eſt, curante NICOMACHO SACRORVM PRÆFECTO. Egregiam repræſentat fabulam, quam in cæteris nummis vidiſſe nunquam contigit. *Aues Stymphalides in inſula Martis quæ emiſſis pennis ſuis iaculabantur ſagittis Hercules interfecit*, inquit Hyginus. Rem fuſius declarat Apollodorus his verbis, *Euryſtheus ſextum Herculi laborem vt Stymphalidas aues fugaret, iniunxit. Erat autem ad Stymphalum Arcadiæ vrbem Stymphalis palus multis contexta arboribus addenſata, quare in hanc magna auium multitudo, luporum vim pertimeſcentes ex fuga ſeſe recipiebant: Herculi itaque quanam ratione aues è ſilua depelleret ambigenti, Pallas ænea crepitacula Volcani munera accepta dedit: hæc ille quaſſans ſub monte quodam paludi proximo aues territabat, quæ ſonitum minimè ſuſtinentes, præ metu ſubuolabant; eumque in modum*

Fabula 30.

De Deor. origine lib. 2.

Hercules ipſas ſagittis impetiuit. Alii tradunt illas tinnitu exterritas, ex Arcadia in inſulam Aretiam conuolaſſe, deinde in Arabiam. Memoriæ prodidit Timegetas, Stymphalides illas quæ repulſæ fuerunt ab Hercule, alas & roſtra & vngues habuiſſe ferreas quas modo Σιδηρόπτερους ferreis alis ſcilicet, modo Σιδηρόνυχας, hoc eſt vnguibus ferreis, modo Σιδηρορύγχους roſtris ferreis, nominauit. Ibibus Ægyptiis erant perſimiles ſed roſtro rectiore atque validiore, & corpore multo maiore. Nat. Com. Mytholog. lib. 7.

Hæc omnia nummus ni fallor, exhibet; Vna ex Stymphalidibus ſignata eſt, quæ etſi fugiens pennam inſtar ſagittæ vibrare videtur in Herculem; hic nonniſi læuâ armatus aut potius exuuiis leonis pro more ornatus fingitur, crepitaculum dextrâ tenens terribili edendo ſono. Columnæ impoſita eſt ſtatua Palladis, cuius ope patratum fuerat facinus. Dicendum ſupereſt cur talem fabulam ſibi elegerint Temenothuritæ; at adhuc per me ſupererit, ingenuè enim fateor me neſcire.

Proſperè adueniet qui horumue nummorum ſoluet ænigmata. Sedet mulier quædam habitu Reginæ; ſceptrum enim habet in læua, ſummæ potentiæ ſymbolum: caput eius turribus inſignitum eſt. Hinc inde adſtant & vir & mulier, ille bipennem tenet prorſus vt in Smyrnæorum nummis; hæc quæ turritum etiam habet caput, lauream imponit capiti Reginæ ſedentis. Infra cernuntur quatuor fabuloſa monſtra, quibus Chymeræ vel Sphinges repræſentantur, virgineas habent facies, alas, pecudumque pedes. Sub ſolio decumbentes

videntur duæ figuræ quæ cùm arundines teneant, ad duos fluuios referri possunt.

Nostram in coniiciendo agnoscimus tenuitatem, cùm præsertim idem ipse typus & monstrosis Diis nimirum Ægyptiis coniunctus sit, & capiti Alexandri Magni. Tanta istius expositionis auiditate tenemur, vt lubenter rem pro vmbra desereremus, explicationemq; nummorum ipsis antiquis nummis, quamuis maximi pretij, compensaremus.

Alterum nummum eiusdem Alexandri Magni proponimus, characteribus latinis insignitum, qui non eum in Græcia fuisse cusum arguunt. Cætera non constant. An Alexander Seuerus Imperator eo monumento Alexandrum Macedonem celebrauerit, incertum. Sabinæ autem quæ hic raptæ iuxta Obeliscos perspiciuntur, Romanorum originem declarant. Eundem typum in aliis Impp. Roman. nummis obseruauimus.

Raros esse omnes ex ære maiori nummos qui Tiberij facie sunt insigniti, norunt omnes : & suo dispendio qui nummos emunt : Rariores multo sunt qui ex ære maximo seu maximi moduli. Inter illos hic ærugine viridi obductus, qualem Itali vocant *la patina verde*, non minimi est momenti. Typus quidem occurrit etiam in ære magno, at hic longè est pretiosior.

A vero fortaſſis non aberramus, cùm hunc Claudij nummum inter antiquos reponimus. Hunc ipſum eſſe arbitror, quem Cl. Occo pulcherrimum & rariſſimum deſcribit ex Alberti Bauariæ Principis cimeliarchio. Terret nos tamen tanta linearum ſeries quam ex marmoribus antiquis decerptam quispiam facilè poſſet iudicare. Metallum deinde flauum vt Corinthiacum, nos in aliquam nouitatis trahit ſuſpicionem: qualis ponderis ſit ea inſcriptio iudicet qui eam legerint. Ea fere ſimilis legitur Romæ in porta Næuia, quam Maiorem nunc appellant.

TI. CLAVDIVS DRVSI F. CÆSAR AVGVSTVS
GERMANICVS PONTIF. MAXIM. TR. POT.
COS. V. IMP. XVII. S.P.Q.R.P.P.
AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS
QVI VOCABANTVR
CÆRVLEVS ET CVRTIVS A MILLIARIO XXXXV.
ITEM ANIENEM NOVAM A MILLIARIO LXII.
SVA IMPENSA IN VRBEM PERDVCENDAM
CVRAVIT.

Gruter. inſcript. p. 176.

Duos hosce Traiani nummos ex iis esse quos Itali *Contourniatos* vocant, scalptura quidem docet, at hi mole illos superant. Primus quidem est egregius. In eo Deus sedens qui fortassis est Iupiter Ammon proboscide ornatus, Palladis simulachrum siniſtrâ tenet : coram ipso fulcrum est cui impositus clipeus orbem indicans. In eo duodecim Zodiaci signa spectantur : quæ omnia illustrant maiora mundi lumina in medio collocata : Sol ex radiis cognoscitur, Luna ex cornibus. Traianum Ioui comparabant adulantes Ægyptij, Imperatori suo

idem tribuentes officium quod Iupiter in cœlis ſuſceperat, ſummum nempe moderamen. Palladem ad Plotinam referri veriſimile eſt.

Alter Athtletam exhibet cuius nomen in nummo ſcriptum eſt, EVTHYMIVS patria Locri in Italia: qualis ille fuerit docet Pauſanias: *Is duello vicit Temeſum Dæmonem, quô puellam ſeruauit victimam ei deſtinatam; illam vxorem poſtera duxit*, &c. Fortitudinis iſtud exemplum Imperatoribus Romanis proponunt nummi, aut ad magna illos excitantes, aut illos fortiſſimis Athletis comparantes. *Lib. 6.*

Nummos vulgabimus in ſexto capite eiusdem EVTHYMII in curru veluti triumphantis, tùm Neroni tùm Traiano dicatos. Non ineptum erat apud Antiquos, eosdem typos diuerſis Imperatoribus applicare, quod ex noſtris nummis patet.

Nummorum Romanorum ſeriem illuſtrant etiam aliorum monumenta, quorum hic habes duo illuſtriſſima exemplaria. Antinoum repræſentant cum titulis & Herois & Dei : illum in deliciis habuerat Hadrianus : quem omni fauore viuum eſt proſequutus , mortuum diuinis honoribus affecit. Vtrumque vulgauit Cl. Triſtanus, Stradæ Occonem præferens ita inſcriptionem nummi legentem Η ΠΑΤΡΙC ANTINOON ΘΕΟΝ, ſic enim manifeſtè hic noſter. Auerſam partem Mercurium vt videtur ex talaribus , exprimit , ſeu Antinoum ſub Mercurij habitu , facies enim huic conuenit. Stella autem & inſcriptio ſi adfuerint , eroſæ ſunt. Legit quidem Cl. Triſtanus ΒΕΙΘΥΝΙΕΩΝ ΑΔΡΙΑΝΩΝ, ſed malo truncatum exponere nummum quam aliquid ſuppoſuiſſe videri.

Alter ita eſt integer vt nihil in eo deſideretur, ſummâ ſcalptoris peritiâ illum vltrò commendante. Polemonem in nummo ſcriptum eum eſſe certum eſt, qui gratia Traiani primùm, deinde Hadriani pollens, plurima Smyrnæis priuilegia eorum autoritate contulit: tempora enim & res conueniunt. Superbum iſtum Philoſtratus deſcribit, qui cum Smyrnæis vt ſuperior, cum Hadriano non inferior, *Selden.* cum Dijs æqualis ageret. Eius fit mentio in marmoribus Arundelianis Antonium nominantibus: famoſiſſimus Sophiſta fuerat & eloquentiſſimus. Bos videtur referre ſimulachrum in honorem Antinoi apud Smyrnæos à Philemone poſitum.

Molis ampliſſimæ eſt iſte nummus, in quo Vulcanus fulgur petenti Palladi tradit : ſedens malleum adhuc tenet iuxta incudem cui impoſita
Iliad. lib. 8. eſt galea. Id finxerat primùm Homerus in Achillis gratiam, quod deinde pluribus Impp. attributum eſt. Fabulæ cauſam declarat Caſſiodorus. *Enſes*
Lib. 5. ep. 1. *qui pulchritudine ſui putentur eſſe Vulcani, qui tantâ elegantiâ fabrilia viſus eſt excolere, vt quod eius manibus formabatur, non opus mortalium ſed crederetur eſſe diuinum.* Antoninus autem nummum ex argento & ex ære cudi curauit, in quo fulgur ſcalptum eſt, cum hac epigraphe PROVIDENTIA DEORVM: ſiue itaque alludat ad fabulam tanquam id à Dijs receperit, ſiue ſe debellandis hoſtibus non defuturum promittat, certè nummus iſte eſt inſignis tum typo, tum integritate.

ANTONINVS PIVS *tertio anno imperij ſui Fauſtinam vxorem perdidit, quæ à Senatu conſecrata eſt, delatis Circenſibus, atque templo & flaminicis & ſtatuis aureis atque argenteis, cùm etiam ipſe id conceſſerit, vt imago eius cunctis Circenſibus poneretur: ſtatuam auream delatam à Senatu poſitam ſuſcepit.* Hæc Iulius Capitolinus, quæ nummum noſtrum ſatis explicant. Ei mortuæ & inter Diuos relatæ, quod & DIVÆ nomine probatur & quod orbi ſtellato inſideat, Antoninus exiguum Victoriæ ſimulachrum offert eius capiti lauream imponentis: fortaſſis iſtius formæ erat ſtatua à ſenatu poſita: vt vt ſit, res ſatis clara eſt, quæ celebrat honores vxori mortuæ delatos ab Imperatore optimo. *In Antonino.*

M. AVRELII & FAVSTINÆ eius coniugis hîc cernuntur facies : ſic plurimæ Auguſtæ maritorum faciebus in nummis coniunctæ ſunt, indicandæ dignitati & concordiæ. Illum plerumque vocant Philoſophum, legitur in textu græco φιλοσοφώτατος. Nihil quidquam eſſe dicebat quod imperium Romanum magis commendaret gentibus quam clementia ; eaque de cauſa, neque quidem in rebelles ſuos ſæuitum voluit. Vxoris vitia ita tulit vt nec ea curioſius inueſtigaret, nec puniret. *De ea cum diceretur Marco vt repudiaret ſi non occideret, dixiſſe fertur, ſi vxorem dimittimus, reddamus & dotem. Dos autem quid erat niſi imperium.*

Leg. vlt. Cod. de repudijs.

Iulius Capit.

Æſculapius, Hygiæa & Teleſphorus frequenter occurrunt in nummis, præcipuè dum ex aliquo graui periculo liberati eſſent Imperatores, quorum vices ſupplere videbantur populi gratias recuperatæ valetudinis Dijs propitijs rependentes. Hoc officio funguntur hîc Nicæenſes & Pergameni poſt reſtitutam Vero ſalutem, quam ope Galeni noſtri reparatam fuiſſe, compertum habemus: Iidem nummos ſimili typo inſignitos, in honorem Antonini Pij percuſſerant, de quibus vt de ſerpentibus, plura diximus in libro *De nummis ex ære mediocri*

In honorem Dearum Hygiææ & Salutis cuſus eſt primus hic nummus. Elegantem & inſolitum typum explicauit in ſuis M. Aurelij commentarijs Cl. Triſtanus. Nummum non minus commendat integritas & raritas.

In altero Iupiter ſedet; ex habitu dignoſcitur & aquilâ ad pedes. Hinc inde ſtant eius ex Leda filij Caſtor & Pollux, Dij Romanis propitij, frænis equos tenentes: eorum pileis, pro more, ſtellæ ſunt appoſitæ: De ijs plura paſſim.

Duos istos nummos sic explicat Capitolinus, *Appellatus est Commodus etiam* BRITANNICVS *ab adulatoribus, cùm Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* In Commod. Istius tamen prouinciæ tanquam à se deuictæ trophæum sic exhibet, iuxta Victoriam armis Barbarorum insidentem, quæ VICToriam BRITannicam in clipeo designat. *Fuit præterea illâ dementiâ, vt Vrbem Romam Coloniam Commodianam vocari voluerit, qui furor dicitur ei inter delinimenta Marciæ iniectus.* Capitol. Se istius coloniæ fundatorem per appositos boues declarat.

Vulcanum ſedentem galeam conficientem alloqui videtur Pallas ſtans, quaſi illius fabricam ſollicitaret: Thetis apud Homerum á Vulcano impetrauerat arma quæ vel telis vel omnibus huius generis eſſent impenetrabilia. Fauſtina hic ſub habitu Palladis ſuo Viro idem etiam præſtare fingitur officium, quod olim Thetis filio Achilli. Ibid. 18.

Sacrificium numus alter exhibet pulcherrimum: In eo ſuſpiciuntur Imperator, Sacrificuli, Victimarij, Popæ, victima, ara, templum, innumeri ſpectatores: quid ſacrificio peragendo vltra requiritur?

De Sidetenſibus dicetur in eiusdem Albini nummo ex ære magno : Ænigma ſoluere nobis eſſet pergratum. Tres figuræ ſunt baſibus impoſitæ, ita vt potius ſtatuas arbitremur quam viuentium ſimulachra ; ſic enim moris erat apud antiquos. Quæ medium obtinet locum, virum repræſentat, coronam videtur imponere ei quæ ad dextram eſt quam Miueruam eſſe ſuſpicamur : quæ ad ſiniſtram collocata eſt, virilem repræſentat figuram, veſtibus ornatam militaribus : Martem perpetuò ſic pingebant. Extremæ hæ duæ figuræ in his conueniunt quod ambæ ſint inferioribus baſibus impoſitæ, lanceam quæque teneant, & exiguum Victoriæ ſimulachrum figuræ iſti quæ in medio eſt, offerant. An hæc Albinum ipſum repræſentet ? cui opem ferre Dij pollicentur : veriſimile eſt.



Seueri binos nummos habes eximiæ raritatis. Bacchum primus repræsentat, vinum è cantharo dextrâ fundentem, vuas siniſtrâ tenentem, quid Baccho dignius? Tigris quæ quod Baccho sacra sit ebria dicitur, illum comitatur: THIΩN nomen indicat populum qui nummum percussit; is est in Ionia. Obseruandum est coram Seueri facie appositam esse icunculam muliebrem, qualis sit, plane ignoramus.

Tot characteres peruersa quadam ærugine detriti præclarum ænigma nobis eripiunt in secundo nummo. Vestigia supersunt satis spectanda. Tarsi quæ Ciliciæ metropolis est nummum cusum esse docent.

Tres figuræ muliebres ſtantes capitibus turritis coronas imponunt alij ſedenti, quas minores vrbes interpretamur primariæ inſeruientes. Ad gloriam incliti Argentorati dicendum, rarum hunc nummum ex eius propugnaculorum fundamentis erutum eſſe, cum pluribus alijs, vt de vrnis, lichnis, ſepulchris, aliisque antiquis ſignis taceam, quæ omnia etiam in noſtris rebus, vrbem commendant.

Perinthij bis Neocori ſeu Præfecti ludorum hosce nummos in honorem Caracallæ cudi curauerunt: ludos Actios Pythios indicat poſtremus, quos doctiſſimè explicauit Cl. Triſtanus.

Pergameni tertiùm Neocori hunc nummum vulgauerunt in laudem benefactoris Caracallæ. *Is*
lib. 78. *enim*, Dione teſte, *plurima bona tum in eos, tum in Iouis templum congeſſerat*, quæ omnia paulo poſt per Macrinum direpta ſunt. Cl. Triſtanus qui eundem fere typum deſcribit, tria templa conijcit eſſe in honorem Iouis, Æſculapij & Hygiææ, quod noſter nummus non comprobat. Nulla enim horum Deorum ſtatua in templorum meditulliis cernitur, armati enim ſunt, quod neutri illorum conuenit. Firmat ille coniecturam hisce characteribus Δ. N. in periſtilio collocatis quos Διὸς Ναὸν interpretatur *Iouis templum*: neque id ſi verum eſſet cætera comprobare poſſet, neque id verum eſt. In Periſtylijs enim aliquid & diuerſum legitur: in primo quidem AVP. quod per AVRELIVM interpretor, in altero AN. per ANTONINVM, in tertio ΣEB. per AVGVSTVM; quæ

omnia & nomen Caracallæ & ſummam eius dignitatem indicant. Sed in eo laudandus Triſtanus, quod non longè à recto aberrauerit ; quàm enim parùm differt hæc inſcriptio ΔN ab hoc AN præcipuè in eo nummo quem fortaſſis non licuit integrum intueri, quemadmodum nobis contigit. In templorum apicibus coronæ manifeſtiſſimè conſpiciuntur, ſeu Dijs dicatæ fuerint, ſeu ipſi Imperatori. Primatum Aſiæ hîc ſibi vindicant Pergameni, quo etiam Smyrnæi & Epheſij potiebantur, quod rariorem nummum efficit. Maxima enim hac de re inter eos diſceptatio fuerat, quæ omnium bono compoſita eſt, cùm ſcilicet hi tres populi, ſupra cæteros Græcos primi dicerentur absque cuiuscunque inuidia. ATTAΛOY, ATTALI quaſi Præfecti aut Pergamenorum aut Sacrorum hic nummus facit mentionem : plura dignoſceremus ſi eos qui in margine nummi ſcripti erant, characteres ærugine corruptos integrior repararet.

Hercules cernitur ſuâ clauâ Diomedis equos conficiens. De iſto Thraciæ Rege plurima ſcripta ſunt. Ingenioſus Palæphatus fabulam hiſtoricè ſcripſit: Ille, inquit, equos alebat, quibus vel emendis vel paſcendis tantam pecuniæ vim impendit vt rem ſuam dilapidauerit; quare equos Diomedis ſanguiniuoros aut carne humana nutritos vulgauerunt antiqui Scriptores. Commodum habemus in ære mediocri ſimili ferè typo: ſimili etiam Antoninum vulgauit Cl. Triſtanus, ſi virum & hydram excipias: cætera eodem habitu: nummus hic eſt illuſtrior ob inſcriptionem ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ PHILADELPHENSIVM PERINTHIORVM NEOCORORVM. Deinde Getæ nummi longè Caracallæ rariores.

Optimus Princeps ALEXANDER SEVERVS dignum profectò ſui regiminis habet monumentum in hoc ampliſſimo numiſmate : Sic terras feliciter regere videtur, vt Iupiter cœlum. Hic inter Solem & Lunam collocatus eſt, & aquam & terram, velut inter quatuor elementa : ſicut ille radijs hæc cornu duplici dignoſcitur : Terra per cornucopiæ, Aqua per proram nauis innoteſcit : Circunſtant ad marginem duodecim ſigna cœleſtia ſcilicet Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Certè illa ſigna etiam in alijs nummis viſuntur, at in hoc longè illuſtrius. Characteres à ſolitis Græcis differunt & quoad formam & quoad coniunctionem : Perinthios bis Neocoros Ionos indicant, ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΙΩΝΩΝ.

Seuerus Alexander in vtroque nummo cernitur ſub habitu Alexandri Magni, cum exuuijs leonis Macedoniæ Reges ornantibus. De eius cum Alexandro Magno neceſſitudine plura ſcripſit Lampridius, ex quibus hæc collegimus. *Hic ea die natus eſt qua defunctus vitâ Magnus Alexander dicitur, & eius nomen accepit. Nutrix ei Olympias data eſt, quo nomine mater Alexandri appellata eſt. Nutritor Philippus prouenit caſu vnus ex ruſticis, quod nomen Patri Alexandri Magni fuit. Legit & vitam Alexandri quem præcipuè imitatus eſt, etſi in eo condemnabat ebrietatem & crudelitatem in amicos. Libenter audiuit ſi quis ei recitauit Alexandri Magni laudes aut meliorum retrò Principum aut magnorum vrbis Romæ Virorum. Agoni præſedit & maximè Herculeo in honorem Magni Alexandri. Reſeruabat in menſa vnum poculum quod amicis exhibebat in honorem Alexandri Magni. Alexandrum vero Magnum inter Diuos & optimos in Larario maiore conſecrauit.*

In Alexand. Seuer.

Etiam in ipſo reprehenſum eſt quod ſe Magnum Alexandrum videri voluerit. Quæ omnia hos nummos illuſtrant in quibus Circus & Scylla exhibentur quales Traiani nummi repræſentant. Quod ad Circum attinet, audi Lampridium: *Lenonum meretricum & exoletorum vectigal in ſacrum ærarium inferri vetuerat Alexander, ſed ſumptibus publicis ad inſtaurationem* CIRCI, *theatri, amphitheatri & ærarij deſignauit.*

Magnetenſium ludos deſcribit rarus hic nũmus, per Cabiros in honorem matris Deûm ſaltantes. De illorum cultu frequenter diſſerit Pauſanias. Cabyri ſeu Corybantes armati circum aram ſaltabant: Eorum myſterijs nullus primùm initiabatur niſi qui cædem aliquam patrauiſſet, ab eo ducta religione, quòd è tribus Cabyris duo fratres tertium interemerant. Cæterum ſacratiſſimus erat apud Paganos eorum cultus.



Tarſi ſcalptus eſt hic nummus qui non indicat Pupienum, ſed Pupenium : ſic enim characteres antiqui ΠΟΥΠΗΝΙΟC. Obſeruat Capitolinus illum apud Græcos non facile Pupienum & apud Latinos non facile Maximum inueniri, quod nummum illuſtrat. Qui fabri ferrarij filius fuerat per militiæ ferè vniuerſæ gradus ad ſummum imperij apicem peruenit : *Militaris tribunus, Prætor, Proconſul Bithyniæ & deinceps Græciæ ac tertiò Narbonæ : Legatus in Sarmatas, deinde in Germanos, res vbique feliciter geſſit*, inquit Capitolinus. Memores Græci beneficiorum à Pupieno acceptorum, cùm eorum eſſet Proconſul, *is enim erat iuſtus, neque vnquam vsque ad exitum negotiorum vel inhumanus vel inclemens*, illum Imperatorem factum raro hoc nummo condecorauerunt. A M. K. Amaniciam Ciliciam declarant.

GORDIANVS tertius primùm à populo Cæsar dictus est, deinde à Senatu, tandem à militibus Augustus factus est, post interfectos Pupienum & Balbinum. COL. VIM. ANTI. legitur circum fæminam inter leonem & bouem stantem. Viminatium autem Mœsiæ superioris oppidum, de quo diximus in libro *de nummis ex ære mediocri.* Gordiani autem sepulchro in Persiæ finibus hoc erat inscriptum.

DIVO GORDIANO
VICTORI PERSARVM, VICTORI GOTHORVM,
VICTORI SARMATARVM,
DEPVLSORI ROMANARVM SEDITIONVM,
VICTORI GERMANORVM,
SED NON VICTORI PHILIPPORVM.

Tarſus Ciliciæ metropolis plures edidit nummos ex maximo modulo ; hæc in vtroque legitur. Duplex ΠΠ quod pone & retro caput occurrit, finem facit inſcriptionis quæ hic tota eſt ΑΥΤοκράτωρ Καίσαρ ΑΝΤονίνος ΓΟΡΔΙΑΝΟC ΣΕΒαστὸς Πατὴρ Πατρίδος. *Imperator Cæſar Antoninus Gordianus Pater Patriæ.* In altero quidem non ANT. quod Antoninum deſignat ſed ANTONIOC : vtrumque agnomen fuiſſe Gordianorum ſcribit Capitolinus. Victoria coronam & palmam tenens, eam deſignat quam de Perſis obtinuit. Venit ille per Syriam in Antiochiam , quæ à Perſis iam tenebatur , illic frequentibus prælijs pugnauit & vicit. Nullum dubium quin vicini Tarſences gratum animum erga Imperatorem hocce nummo teſtati ſint , vt & ſequenti , in quo Diana pro more in curru ſtat, à bobus vecto.

In Gord.

OTACILIA SEVERA vxor fuit Philippi patris, mater filii : vtrosque eius nummus exhibet cum PIETATIS indicio, hoc eſt amoris ſummi, quis enim ſupra maternum ? Tacendum non eſt iſtius typi nummos frequenter exſtare ſuppoſititios, hunc autem eſſe citra vllam dubitationem antiquiſſimum.

PHILIPPI iunioris eundem habes fere typum in nummis argenteis. Miles ſequitur Imperatorem paludatum, tribus hinc inde affixis ſignis militaribus, cum aſſecla milite : Præclarum quidem eſt illud monumentum, at nullam requirit interpretationem.

TRAIANVS DECIVS in ære maioris moduli frequentior occurrit quàm quislibet alter Imperator. FELICITAS SÆCVLI in primo nummo celebratur, ob Decij dotes, vir enim fuit primo Traiano bonitate adæquatus: In altero VICTORIA, quæ primis eius imperii annis fauens, illum demùm deseruit.

Elegantissimus typus HERENNIAM ETRVSCILLAM ornat, quam ad nostra vsque tempora qui historiam excerpserant filiam censuerunt Tr. Decij, vxorem

Voluſiani. Id mendoſum conuincitur ex numo Decij & Etruſcillæ facies auerſas exponente, de quo elegantem epiſtolam Jll. Falconerio Romano conſcripſit Jll. Seguinus noſter. Sedet Auguſta inter Prudentiam & Concordiam, quaſi absque inſcriptione indicaret PVDICITIAM ſuam oriri à prudentia & concordia : id ſatis intelligunt probæ mulieres. *Mulieris enim virtus propriè Pudicitia eſt*, inquit D. Hyeronimus. Sed & apud Ethnicos maximè celebrabatur, teſte Val. Maximo his verbis, *Vnde Te virorum pariter & fæminarum præcipuum firmamentum Pudicitia inuocem.* Statuas in eius honorem plurimas commemorant antiqui: Aras eius exponit nummus ſupra ſcalptus pag. 9. templi facit mentionem Pauſanias;

Lib. 1. contra Iouinian.

Lib. 9. hiſt. 1.

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,
Si cuiuis nuptæ quidlibet eſſe licet.

Prob. l. 2. Eleg. 6.

CLAVDII Gothici nummos in ære minimo frequentiſſimè occurrere norunt omnes qui antiquis nummis curam dant: In ære magno & maximo aliter ſe res habet. A Poſtumi temporibus pauci ſuperſunt magnæ molis, cuius cauſam ſiue ad incuriam artificum referas ſiue ad iſtius ſæculi paupertatem, per me licet. De Claudio ſatis diximus in Libro *De nummis ex ære medioci.*

De PROBO ſatis dictum eſt in nummis aureis pag. 14. Moneta triplex aurum, argentum & æs indicat. Nummus hic & integerrimus & ſummæ exſtantiæ videtur antiquitus auro & argento obductus, quorum ſuperſunt egregia veſtigia.

Tres Monetas pro typo ſibi habet etiam Diocletianus. Eum arbitror ita frequenter iteratum fuiſſe, quò noſcerent populi, Imperatores hosce penes quos ſolos ius erat monetæ cudendæ, exactam legem, pondus & metallum ſeruare.

Abſoluemus nummos ex maiori modulo per eam VICTORIAM Conſtantij nummo inſculptam, VOTA DECENNALIA clipeo inſcribentem.

Appendicis inſtar erit iſte nummus, quem quamuis integerrimum & antiquiſſimum vix explicare poſſumus. SALVSTIVS AVTOR in eo deſignatur; quem tamen ſcriptorem belli Iugurthini interpretari non audemus: obſcuritatem adauget id quod in auerſa parte cernitur? ſuſpicatus eſt quidem meus Amicus tres Gratias, ſed quid hæ cum Salluſtio? deinde viriles togæ videntur ab Conſularibus non plurimùm abſimiles. Exponat felicior Oedipus. Scribit On. Panuinius Leontium & Saluſtium Coss. fuiſſe anno MXCVII. imperantibus Conſtantino iuniore, Conſtantio & Conſtante; ad illum arbitratur pertinere hunc nummum. Ætas quidem & ſcalpendi modus congruunt, cætera autem ſunt incerta.

In Faſtis lib. 3.

CAPVT VI.

DE NVMMIS IMPERATORVM ROMANORVM EX ÆRE MAGNO.

Maximas ſupra ceteras nummorum antiquorum ſeries ex ære magno parari, nemo eſt qui ambigat; quippe cùm eorum numerus duo millia ſuperet. Patres de ijs cudendis decernebant, quod dignoſcitur ex fere ſemper appoſitis his characteribus S. C. quaſi nonniſi per Senatus-Conſultum percuti deberent. Republicâ demùm in vnius poteſtatem transmiſsâ & ius monetæ cudendæ delatum eſt. Inanis tunc temporis TriumVirorum Monetalium autoritas niſi

quæ ab Imperatoribus penderet, quorum effigies & ſymbola pro eorum nutu & iuſſu ſignabant. Hunc honorem tam auidè ambiebant, vt nullus ex Imperatoribus Romanis illi ſuſtinendo defuerit. Equidem ab Auguſto ad Heraclium ſinguli ex ære magno in Curioſorum cimeliarchijs deliteſcunt; excipias modo aut Tyrannos habitos, aut paucos, quos temporum ignauia à tali erga poſteros commendationem prohibuit. Ex tanta copia animus erat paucos ſeligere ſupra cæteros ſpectabiles: Id autem pluribus quibus rem communicaueram, non ſatis placuit, inter quos & Principes & Illuſtres plurimos rerum mearum Patronos numerare liceret: *Tuos*, dixerunt, *vulga theſauros, nec minoris pretij nec meriti poſtea futuros: Te qualis es præbeas, antiquitatis non modò ſtudioſum ſed & poſſeſſorem. Norunt omnes qui in tota Europa has res tractant, Te nullis operibus aut impenſis peperciſſe, quare maiorem Curioſis debes numerum quàm eum quem polliceris.* Parui tam amicæ compellationi, gloriæque meæ partem in obſequio collocaui. Operam perdidiſſe non arbitrabor, ſi bonis hæc grata fuerint. Is enim ſum qui cæteros cuiuscunque ſint aut fortunæ aut eruditionis parùm curem.

Alexandrum Magnum hic habes : inſcriptio docet, ſed cur latina eſt ? omnes enim Macedoniæ numos Græcis characteribus inſignitos fuiſſe certum eſt. Opinor poſterioribus temporibus, in Italia ſcalptos eſſe, qui quo propius ad hiſtoriam Alexandri accederent, exuuijs leonis ornati ſunt, Reges Macedoniæ ab Hercule ortos demonſtrantes. In primo ſtat Alexander iuxta Bucephalum, dexteritatem mirante patre Philippo. Alter exhibet Imperatorem vel Solem in curru ſtantem. Inſcriptio SOLI INVICTO, nummum reuocat ad tempora Conſtantini M. quibus hæc epigraphe erat familiaris.

Eundem Alexandrum repræſentant hi nummi; ſed diademate ornatum & cum ceruicis repandæ oſtentatione, qualem feliciter expreſſiſſe Lyſippum ſcribit Plutarchus. STEFANVS Athleta mihi videtur in curru triumphali poſitus coronam & palmam ex adeptis victorijs reportans. Coniecturæ locus eſſet ſummis illis Athletis exemplum illuſtre proponi Alexandrum Magnum, ſed á quo, aut quo tempore incertum eſt.

Nummus alter iuuenem alatum rupi inſidentem exhibet qualem Cupidinem pingunt; ſed quid teneat niſi vuam, cur vuam; ſane non eſt facile adipiſci.

A Coienſibus in mari Ægeo cuſi ſunt iſti duo nummi. Cl. Triſtanus vnum Lepido, alterum Auguſto tribuit: facies autem ita conueniunt, vt eas vni ſoli tribuendas eſſe non dubitem Lepidi deinde effigies quas habemus in aliis eius nummis, veluti in ÆMILIÆ duodecimo, & decimo octauo, has ita referunt, vt aqua aquæ non ſit ſimilior. Nomina iis inſcripta non ſatis rem declarant: Goltzius quidem vnius Niciæ facit mentionem: ΕΥΚΑΡΠΟC in alio legitur: Eos Coienſium Regulos fuiſſe facile crederem, qui Lepidi effigiem ſignauerint: niſi eos ipſos repræſentatos credas: At certe nummi rariſſimi habendi ſunt. *In Famil. Roman.*



Nummum explicaſſe videtur Quintilianus, in dictis Cæſ. Auguſti, *Natâ* inquit, *eius aræ palmâ, Tarraconenſes Romam legatos misére, gratulaturi quod Victoriæ omen atq; æternitatis ſymbolum palma in eius ara exſtitiſſet. Apparet, reſpondit ille, quàm ſæpè accendatis.* Intellexit nimirum Auguſtus naſci herbam aut arboris ramos in ara ſacrificiis atque ignibus nimis parùm frequentata. Cuſum deinde fuiſſe hunc nummum in eius honorem à Colonia Victrice Togata Tarracone demonſtrant characteres: de qua diximus in *Nummis ex ære mediocri.* Iis temporibus eidem Auguſto ab iisdem Colonis alter nummus cuſus eſt, qui etiam noſter eſt, cum iisdem quidem characteribus, ſed quibus inſuper ob eandem cauſam addita eſt ÆTERNITATIS AVGVSTÆ. Obſervanda venit inſcriptio nummi, quæ non tantum AVGVSTO ſed DEO AVGVSTO dicata eſt; Auguſtus enim viuus à populis vt Deus habebatur; Templa habuit, aras, Flamines, ſacrificia, cœteraque quæ conſecrationem indicabant.

Lib. 4. c. 4. Inſtit. Orat.

Frequenter illud me torsit cur tam pauci exstent Augusti nummi ex ære magno, cùm ille tam diu regnauerit: Aliud in mentem non venit præter istius temporis mores. Romanos vni seruire coactos, nondum tantæ gloriæ donandæ assuefactos plures in posterorum honorem signauisse, quod inuidiam primis illis temporibus adauxisset.

Primus templum ROMæ & AVGusto dicatum exhibet, de quo Suetonius, quod etiam pluribus alijs Imperatoribus contigit.

Alter ab Imp. Nerua restitutus est: hic penuriæ obsistens Augusti faciem cum sua nota cudi curauit.

Rariſſimi ſunt eadem ratione Tiberij nummi: De huius auerſa parte nihil peculiare occurrit.





Primus hic nummus liberalitatem Tiberij celebrat, erga ſeptem Aſiæ vrbes terræ motu collapſas. Eam tanti fecit Titus vt vulgarem illam in nummis efficere conatus ſit ſua reſtitutione.

Strab. lib. 13. Sueton. c. 48.

Patrem & filium exhibet hæc tabella, vtrumque Optimum Imperatorem. Druſum prior nummus ſed cum reſtitutionis notis à Tito ſignatis.

GERMANICVS in ſequenti repræſentatur, corporis famâ & animi bonis, inſtitutioneque præſtantiſſimus, qui ſæpenumero cùm imperium adipiſci poſſet, aſpernatus eſt. Veneno exſtinctus eſt Antiochiæ, Piſonis fraude, Tiberij artibus, æt. XXXIV. Nullum alium eius nummum ex ære magno videre licuit, quàm hunc qui poſtea ab eius fratre Claudio Imperatore ſignatus eſt: quare eum rariſſimum arbitror.

Optimam matrem & peſſimum filium hìc habes. Illa Agrippæ filia & Iuliæ Auguſti, paulo poſt maritum obijt. De Carpento quod in priore nummo ſignatum eſt plura paſſim apud Autores, præcipuè Suetonium.

Sequens nummus qui in Hiſpania cuſus eſt, C. Caligulam repræſentat. Indicant characteres Coloniam Cæſaream Auguſtam, quæ parentibus eiusdem Caligulæ Germanico & Agrippinæ ſuos nummos etiam obtulit, in quibus occurrunt etiam eadem Duum Virorum nomina: hic ex ære magno longè rarior eſt.

Quatuor hi nummi ita illuſtres nobis videntur vt nullus alter illos ſuperet. Templum Iani cluſum pacem deſignat per totum terrarum orbem. Congiarium, Principis liberalitatem: DECVRSIO, magnificentiſſima erat tunc temporis exercitatio. De PORtu OSTienſi diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.*

Tres hi priores nummi ad Athletas pertinent, quos totis viribus imitari & ſuperare conabatur Nero. De Eytimio dictum eſt pag. 105. Circi agendis equis & curribus loci erat deſtinati, quorum etiam num hodie plurima exſtant Romæ veſtigia: Lipſius ex recentioribus accuratiſſimè illos deſcripſit.

Admiranda Romæ.

Quartum referentes audiuimus ad Herculem in cunis angues ſuffocantem. Magis placet Hygæam cubantem cum ſuo ſerpente ludere. Sanitatis reſtitutio ſic ſæpe declaratur in nummis, quæ quòd Æſculapij filia cenſeretur, à Medico prudente producta, tali habitu ab Antiquis pingebatur.

Similem ferè nummum exponit Cl. Triſtanus, hic tamen longè nobilior, qui caput quidem radijs vt alter ornatum refert, ſed quod inſuper ornat corona ex lauro, & quod præcipuum eſt Neronis effigiem repræſentat, de quo audiendus ipſe Apollo de Nerone ſic verba faciens : *Commem. hiſt. t. 1.*

Ille mihi ſimilis vultu, ſimilisque decore
Nec cantu nec voce minor &c.
Talis Cæſar adeſt, talis iam Roma Neronem
Adſpiciet, flagrat nitidus fulgore remiſſo
Vultus & effuſo ceruix formoſa capillo.

Seneca in Apocolocynt.

Faciei auerſæ typus Victoriam repræſentat proræ impoſitam, coronam & papauerum flores dextrâ tenentem, palmam ſiniſtrâ : ad eius pedes calathus floribus refertus : Quæ omnia ſitum Rhodi indicant, abundantiam, victorias. Ideo autem nummum cuſum fuiſſe arbitror, vel quia Nero iuuenis in Senatu præſente patre Claudio pro Rhodienſibus orauerat, vel quòd rerum potitus Rhodum adierit.

Remiſſionem tributi Quadrageſimarum perdoctè explicauit Caſaubonus in Galbæ nummo, cùm Suetonium interpretaretur. Tertius Galbam repræſentat milites adloquentem. Is mihi videtur ipſis dicens, *Diſcite milites militare, Galba eſt non Gætulicus.* In quarto ſtant HONOR ET VIRTVS, fauſta Romanorum numina, quibus etiam templa Romæ dicata ea arte ædificata ſunt, vt in illius templum nullus eſſet aditus, niſi qui per huius fieret.

Sueton. in Galba c. 6.

VITELLIVS *cum Imperator conſalutatus fuit, cognomen* GERMANICI *delatum ab vniuerſis cupidè recepit,* AVGVSTI *diſtulit,* CÆSARIS *in perpetuum recuſauit.* Id inſcriptionem capitis explicat. Primus nummus refertur ad Victoriam quam ſupra Othonem Vitellius adeptus eſt. Alter Pacem, quaſi rebus omnibus compoſitis. Tertius coronam ob CIVes SERuatos, adulatione potius quam iure delatam. L. VITELLIVS CENSOR, Parens eius in quarto videtur qui cum Claudio Principe duos inſuper conſulatus cenſuramque geſſit. *Sueton. in Vitel. c. 8.*

Facies aduerſas Veſpaſiani & Titi hic habes, cum typo eorum frequenti Iudææ captæ : Hæc nimirum iuxta palmam luget , orbem calcante propè ſtante Tito lanceam & ſcipionem tenente. Quod ſeorſim in vtroque Imperatore frequenter occurrit , rariſſimum eſt ſi iunctum fuerit , vt in hoc numiſmate.

Secundus nummus ad id refertur quod ſcribit Suetonius, Veſpaſianum *feciſſe amphitheatrum vrbe media , qualem deſtinaſſe compererat Auguſtum.* In eo quatuor columnarum ordines ſicuti erat ſpectari poſſunt. Terræ proximus erat Doricus, alter Ionicus, ſequens Corinthius, poſtremus denique Tuſcus ſeu

In Veſpaſ. cap. 9.

compoſitus. Poſſunt etiam ſpectari quæ etiamnum ſuperſunt ſtatuæ varij generis inter columnas ſub fornicibus, & quadrigæ multæ. Octoginta hominum millia capere potuerat. De eo ſic cecinit ingenioſus Poëta Martialis :

Omnis Cæſareo cedat laus Amphitheatro,
Vnum pro cunctis fama loquatur opus. *Lib. 1. Epigram.*







In primo nummo ſuperbit pater Veſpaſianus per duos filios Titum & Domitianum, quos in nummis ex ære, argento & auro, ſedentes, ſtantes, paludatos, togatos, & equites repræſentari curauit.

Alter nummus perrarus eſt qui ad Metam refertur, quæ adhuc Romæ viſitur. De ea dictum eſt in libro *De nummis ex ære mediocri.*

Hic nummus innuit Veſpaſianum melioribus artibus prouidere imperio Romano non potuiſſe, quàm illud ſub figura globi Tito regendum tradendo: vt dubitaretur an maiorem huic dignitatem conferret, an illi maius beneficium.

Alter IVDææ CAPtæ ſymbolum refert, quale pinximus & explicauimus in nummo ex ære mediocri. Flauum autem metallum ex quo numiſma conflatum eſt, vulgò vocant Corinthiacum, quaſi ei ineſſet aliqua auri portiuncula, ex commixtis auro, argento & ære poſt incenſam Corinthum. at id nusquam compertum habuimus.



De Iulia Titi filia plura apud Suetonium; hîc Carpentum adiectum eſt, honoris nempe nota quam in Iuliæ & Agrippinæ nummis vidimus. Rhedæ genus erat quæ illuſtribus fœminis concedebatur; non malè recentiores illos currus referebat quos *caleches* aut *chaiſes roulantes* Galli vocant, niſi quòd Carpentum perpetuo à mulis veheretur. At cur ſemper mularum bigæ fœminarum Carpentis? ſuſpicio eſt equos, πολέμικα ζῶα, vt dicit Ariſtoteles, ad bella natos Imperatoribus ſeruari.

FRVGes ab Imperatore datas & à Populo ACceptas exhibet primus nummus, vt & LVDos SÆculares. Hos explicant omnes ferè antiqui Hiſtorici.

Præter CONSECRATIOnem alter ſacrificium exhibet pulcherrimum, in quo Imperator ſtat habitu ſacrificantis. Deinde Popa, Victimarius Citharædus, Victoria coronam offerens: Terra humi iacet cum cornucopiæ. Spectanda venit nota Senatus-Conſulti SC. quæ tempus cuſi nummi indicat: *Occiſum enim Domitianum populus indifferenter, miles grauiſſimè tulit, ſtatimque eum Diuum appellare conatus: paratus & vlciſci niſi Duces defuiſſent; quod quidem paulo poſt fuit.*

Suet. in Domit. c. 23.

Hos Domitiani typos ideo vulgauimus, quod pulchri ſint & rari. Lubentiſſimè ſcirem quisnam Centauros ſignauerit: eos quidem in nummis Iuliæ repræſentauerunt Nicæenſes, ſed hic nummus latinè ſcriptus eſt.

Domitia vxor fuit Domitiani, ex qua filium tulerat, deinde vt AVGVSTAM *conſalutauerat: eamdem Paridis hiſtrionis amore deperditam repudiauit, intraque breue tempus impatiens diſſidij quaſi efflagitante populo, reduxit.* Auerſa facies ad filium refertur qui puer mortuus inter Deos relatus eſt, vt conſtat ex nummo argenteo. Sueton. in Dom. c. 3.

Pauci ſuperſunt nummi Neruæ ex ære maiori, ſed omnes ad hiſtoriam plurimùm conferunt. Vir probus & honeſtus & omnium laude dignus non integro biennio imperauit, inde nummorum paucitas. Liberalitatis eius duo ſunt hîc appoſita exempla; cùm in vno ſedens Imp. Populo Romano Congiarium diſtribuere videatur, in altero per modium frugibus & papauere oppletum PLEBI VRBANÆ FRVMENTUM CONSTITVat; quorum Senatus monumenta in nummis ſeruanda decreuit.

Duo alij hîc exhibentur tributorum remiſſionem indicantes. Vnum quidem ob vehiculationem Italiæ, quod à Domitiano impoſitum erat, alterum ad amouendam fiſci Iudaïci calumniam: primum mulis & equis deſignatur in nummis, vehendo natis, alterum Palmâ Iudææ ſymbolo. Prioribus temporibus ſingulæ Italiæ vrbes militibus rhedas & equos præbere cogebantur, quod Neruæ beneficio abolitum eſt. Iudæis tributum impoſitum per Domitianum ab Imp. Nerua ſublatum eſt.

Congiarium iterum recurrit in Traiano ſupra cæteros Optimo Principe. Ei adiecta ſunt victarum ab ipſo prouinciarum monumenta. Nummi & rari ſunt & hiſtorici, inſcriptiones ſolæ aut ſoli typi res ſatis declarant.

Primus huius tabellæ nummus, adlocutionem exprimit Imperatoris ad milites, poſt Parthos ſcilicet deuictos : Anni enim in nummo ſignati congruunt. Tres ſequentes ædificia pulcherrima exhibent à Traiano conſtructa, Circum, Baſilicam illam quam de ſuo nomine Vlpiam nominauit, & Templum Ioui Optimo Maximo dicatum, ſeu arcum triumphalem. Nihil ſane ſuperbiùs nihil magnificentiùs.

Primi duo nummi ad primordia Romæ referuntur. Venus è cælo in Idam ad Anchiſem dormientem delabitur, conciliante Vrbis æternæ Genio coronam ei imponente : lupa ſubeſt indicando Romuli fato. Alter Æneam è Troia

profugum repræſentat qualem Virgilius pinxit, humeris Anchiſen portantem, manu Iulum ducentem. In tertio inſtrumentum hydraulicum ſignatum eſt quod fusè explicat Cl. Triſtanus. Quartus ad Athletam EYTIMIVM reuocatur, de quo dictum eſt pag. 105. Poſtremi duo Triumphos exhibent Cybeles & Bacchi. *Com. hiſt. t. 1. p. 219.*

Hos duos Græcos addidimus qui Traiani hiſtoriam illuſtrant. Hydram in vno enecat Hercules, *Proxima Lernæam ferro & face contudit Hydram*, inquit Auſonius, quod ad Heracleenſes refertur. Legitur enim in nummo HPAKΛEHTΩN. typum refert Triſtanus ab Pruſienſibus cuſum, qui ad Hypium ſunt, in honorem Veri. *Comm. hiſt. t. 2. p. 301.*

Alter Ariſtarcum deſignat figurâ ſedente in medio nummo ſpicas tenente. Characteres magni, inæquales & rudes barbaram aliquam prouinciam ſubindicant, qualis eſſet Arabia aut Perſia.



Hadrianus ſupra cæteros Imperatores Rom. peregrinatus eſt, omnibus Imperij Romani prouincijs benefecit; teſtes ſint tot nummi in quibus vt earum RESTITVTOR apparet. Quatuor exempla hîc apponi curauimus, vt rara ſic integerrima.

Suam grati animi teſſeram eidem Hadriano dicauerunt in nummis omnes ferè prouinciæ & vrbes, quas perluſtraueat, è quibus duo hæc monumenta ſelegimus, in quibus leguntur ÆGYPTOS, & vrbs eius præcipua ALEXANDRIA. Mirum quam exactè Iſis in primo ſit repræſentata: florem habet impoſitum capiti, ſiſtrum dextrâ tenet, calatho floribus pleno ſiniſtram imponit, Ibim exiguæ columnæ innixam iuxta ſe habet; de quibus diximus in Libro *De nummis ex ære mediocri.*

Quam gratus fuerit Imper. Hadriani aduentus teſtantur poſtremi duo nummi: togatus adeſt ille & ſacrificaturus: victima propè aram collum præbet: Italia vota ſoluere videtur pro felici aduentu Principis. Iudæa eodem habitu cernitur in poſtremo, duobus hinc inde ſtantibus pueris, indicandæ legi quam de circumciſione fecit.

Digeſt. ad L. Cornel.



Quantum arma etiam in media pace leges & imperium tueantur, docuerunt illis temporibus Hadriani facinora, ſicuti noſtris ſumma Regis Chriſtianiſſimi Ludouici XIV. prudentia. Nullum ille ferè bellum geſſerat quamuis ſupra XX. annos imperauerit, Legiones tamen tot habuit paratas quot vllus alter Imperator; *Nolo diſputare*, inquiebat quidam Philoſophus, *contra eum qui habet triginta legiones.* Ita tamen illas coërcuit, vt nummus exſtet DISCIPLINAM iſtam commemorans. Exercitus illi frequenter nummos dicauerunt, in quibus interdum eques, interdum pedes Imperator cernitur: ex ijs Dacici & Syriaci exercitus monumenta ſelegimus.

Magnificentiſſima ſi vnquam fuerunt liberalitatis exempla hi nummi proponunt. Centum ferè milliones vt nos Galli loquimur, Populo Romano remiſit Imperator, combuſtis in foro debitorum ſyngraphis, quas nummus exhibet. An quâlibet aut ſuperiori ætate aut poſteriori vllus Princeps id donauerit? non mirum ſi nummus alter Hadrianum LOCVPLETATOREM ORBIS TERRARVM indigitat.

Sabina Hadriani vxor, moroſa fœmina nummum hunc rarum efficit: quoties enim vir & vxor facies habent coniunctas, vel iugatæ ſint vel auerſæ, toties nummus rarus habendus eſt.

Dei Ægyptij in duobus primis nummis repræsentantur diuerso habitu. Serapidis caput aquilæ impositum est, vel totus Iupiter : *Multorum beneficiorum Africanis attribuit Hadrianus* inquit Spartianus. Vterque nummus & rarus est & admodum integer.

Tertius nummus Serapidem sedentem exhibet, iuxta stantem figuram, quam qualis fuerit dicere non est facile.

Quartus à vicinis vrbibus cuius est, quarum communitatem indicat inscriptio. Diana Ephesia in eo admodum est spectabilis.

De Antinoo dictum eſt ſupra pag. 107. Plura de eo ſcripſimus in *nummis ex ære mediocri.* Antinoi autem numiſmata ex quolibet metallo ſunt rariſſima.

Antoninum Pium in eodem nummo hîc habes cum vxore Fauſtina quam omnibus honoribus ille cumulauerat. De ijs paſſim. Iunctas eiusmodi coniugum facies raras penes ſe meritò habent Curioſi.

Hîc concordiam coniugum celebrat. Aurelius & Fauſtina in ima nummi parte iuxta aram, nummum vltra modum commendant.

Ad Dianam Epheſiam præcipuè referuntur hi nummi non minus integritate quam typo conſpicui. Ceres in primo cum facibus Proſerpinam quærens fortaſſis Cyzicum indicat, vt Epheſum Diana multimamma.

In poſteriori Nemeſis & Æſculapius cernuntur cum intermedia Diana Epheſia. Hanc Epheſij ſibi perpetuò vindicabant, vt Pergameni Æſculapium & Smyrnæi Nemeſim : quod multi nummi comprobant.

Honores Fauſtinæ delatos poſt mortem hæc indicant numiſmata. Illa enim per Antoninum & ex decreto Senatus inter Deos relata eſt, quare ÆTERNITAS Deorum attributum ei etiam condonatur, & elephantes, animalia nempe quæ ſupra cætera diutiſſimè viuunt: Hinc apud Ægyptios elephas longæuitatis & æternitatis erat hyeroglíphicum. Poſterioribus temporibus illam per auem Phœnicem expreſſerunt, quæ in nummis filiorum Conſtantini M. frequenter expreſſa eſt, quod vna ex animalibus ſeſe continuò renouaret.

M. Aurelij expeditionem hîc habes. *Profecti* In Aurel. *ſunt paludati ambo Imperatores*, inquit Capitolinus, *Marcomanis cuncta turbantibus, nec parum profuit iſta* PROFECTIO *&c.*

Ad ſecundum nummum hîc referri poteſt quod ſcribit idem Capitolinus ; *Contra Germanos res feliciter geßit. Speciali ipſe bellum Marcomanicum, ſed quantum nulla unquam memoria fuit, tum* VIRTVTE *tum etiam felicitate transegit.*

In tertio congeries armorum trophæum exhibet DE SARMATIS, qui hodie Poloni nuncupantur.

Quartus liberalitatem Principum celebrat nimirum M. Aurelij & Veri.

Ilienſes Hectorem ſuum in hoſtes impetum facientem M. Aurelio offerunt, quo nihil dignius habebant. Adulationis Græcæ erga Romanos Imperatores hoc ſit exemplum, cum ſuum Heroëm adhuc viuere in Imperatore ſimulant, quem ſuum Hectorem agnoſcunt. *Aurelius omnibus Orientalibus prouincijs comiſſimus fuit*, inquit Capitolinus. Heroas primis temporibus pugnantes, aut pedites aut in curribus ſtantes fuiſſe certum eſt, quo habitu hîc Hector ſcalptus eſt. Clipeum tenet ille præ manibus, *quo more plures Ilij erant erectæ ſtatuæ*, vt ait Pauſanias.

In M. Aurel.

In Laconicis.

Ex triginta vrbibus cum vna eiusdem nominis, difficile est coniicere quænam nummum percusserit, præsertim cum nullam inter Aurelium & Apolloniam coniunctionem apud Antiquos repererim.

Adoptionis formulam hîc habes, dum M. Aurelius vt Cæsar & filius Augusti in eodem nummo cum Antonino Pio Augusto coniunctus est.



M. Aurelium & L. Verum libri iuridici semper Diuos fratres nuncupant. De ijs apud Capitolinum fusè scriptum est. Græcam vrbem, etiam si nummus sit vtcunque integer, legere non possumus. Certè vna est ex Orientalibus quæ hunc nummum in honorem Imperatorum ad bellum contra Parthos proficiscentium cudi curauit.

Vtriusque faciei inſcriptionem ſic explicat Capitolinus. Propter res bene geſtas *partum eſt ipſi nomen* ARMENIACI, PARTHICI, MEDICI. *Deinde confecto bello regna Regibus, prouincias vero comitibus ſuis regendas dedit.* Cæterum non ARMENIS populis ſcriptum eſt, vt multi volunt, ſed ARMENIIS, hoc eſt Armeniæ inferiori & ſuperiori.

Fauſtinam in ſolio ſedentem ad cœlum delatam ope duarum Dearum hîc habes, quæ tantum iter nonniſi expanſis velis exprimere nequeunt, quaſi ſe volantes indicarent. Se SIDERIBVS RECEPTAM in alio nummo iactitat Fauſtina.

Nihil elegantiùs hoc Commodi numiſmate. TEMPORVM FELICITAS indicatur quatuor puerulis diuerſo habitu deſignatis. Primus calatum habet impoſitum capiti floribus plenum, ver ſignificantem. Alter falcem tenet quaſi falcandis frugibus, quod nonniſi æſtate perficitur. Sequens fructus ſiniſtrâ tenet: dextrâ quidem videtur cani aſſurgenti blandiri, quod venationis oportunitatem & fructuum abundantiam autumnali tempore ſubindicat. Quartus veſtitus eſt, quo hyems tempeſtas ſcilicet frigidiſſima ſignificatur: capram ſiniſtrâ tenere videtur quam Cl. Angelonus aues interpretatur.

Oppian. lib. 1. κυνηγ.

In hiſtor. Auguſt.

Commodus ſub habitu Herculis claua & ſpolijs leonis decorati, coloni perſonam ſuſtinet, quare CONDitorem ſe nominat. Hic incendere Romam ſtatuerat quo Coloniam Commodianam reſtauraret. Senatus ipſe Romam Commodianam & ſe Commodianum appellari permiſit.

Iſte nummus Deos Ægyptios repræſentat Commodo fidem dantes, fortaſſis pro longæuitate, aut Imperij penes ipſum diuturnitate. *Is ſacra Iſidis coluit, vt & caput raderet & Anubim portaret.*

Lampríd. in Commodo.



In primo nummo EXERCITVS ſuam FIDEM exponit ſe ſacramento Imperatori vltrò obſtringens, ſed cum pluribus Tribunorum & Militum integerrimis figuris quæ nummum illuſtriorem efficiunt.

Sacrificium cernitur in duobus ſequentibus, Sacerdotis vices agente Imperatore, adſtante Popa iuxta aram victimam percutiente.

Quartus in trophæi modum arma Germanorum exponit, quos ſuperbè ſe viciſſe iactitabat Commodus.

Samij primum nummum cuderunt, Lesbij alterum, vtrosque raros. Hercules in primo ſignatus eſt, Pallas & Bacchus in altero, Deo Termino intermedio, veluti proræ nauis impoſito: hæc ſitum ſcilicet maritimum indicat. Certe difficillimum eſt hæc ænigmata ſoluere. Monitum lectorem velim poſtremum hunc nummum fortaſſis non deſignare Commodum, ex characteribus enim non ſatis liquet, ſed aut ad illum aut ad eius patrem M. Aurelium referri debere, nullum eſt dubium.

Quatuor exhibemus Pertinacis nūmmos, vt raros ſic integerrimos. Duabus ille Deabus gratias agere videtur ob acceptum imperium. Deinde ſcalptæ ſunt Deæ optimo Imperatori fauentes ÆQVITAS & LÆTITIA, quibus clarum ſuum reddidit imperium: Eius autem nummi ex omni metallo rari ſunt, at qui ſunt ex ære magno ſunt longè rariores.

Didij Iuliani duos typos hîc habes, quos ad complendam hanc ſeriem potius quam ad deſignandum quid hiſtoricum, vulgauimus.

Ei fauentes in primo deſignantur milites quos promiſſa mercede ſuos effecerat. Primus enim ex Imperatoribus Romanis imperium erat mercatus: ſed hæc CONCORDia non diu durauit, ab illis enim paulo poſt interemptus eſt.

Vt alterum Iouem ſecundus repræſentat Iulianum qui globum tenens ſe Orbem regere ſuperbè gloriatur.



MANLIA SCANTILLA Didij Iuliani vxor fuit, cuius iam nummum argenteum vulgauimus ſupra pag. 77. cum eodem IVNONIS REGINÆ typo. Ab hac perſuaſus imperium ſuſceperat.



DIDIA CLARA Iuliani & Scantillæ filia fuit; ſuæ ætatis puellarum omnium formoſiſſima. Cum matre quæ admodum deformis erat Auguſta appellata eſt. Vrbis Præfecto nupſit. Poſt patris interitum nomen eſt abrogatum, ſed conceſſum patrimonium. Huius nummi vt & matris nummi ſunt admodum rari.

Nummorum omnium rariſſimum hîc habes. PESCENNIVS NIGER in omni metallo pretioſus eſt ſupra cæteros Imperatores, in ære magno longè rarior, cùm vix reperiatur : nullum alium vidi ſi eum excipias quem è meo muſæo ad Regis Chriſtianiſſimi cimeliarchium euectum eſt. Auerſæ partis ænigma ſoluat OEdipus felicior. Certum eſt his verbis finitam eſſe inſcriptionem ΚΑΙΣΑΡΑΙΩΝ ΜΗΤΡΟ. quod referri poteſt ad illam Cæſaream in alijs eiusdem Peſcennij nummis ſignatam, ei contra Sept. Seuerum fauentem. Fortuna ſtans quæ ex modio capiti impoſito Ægyptiacæ Iſidi videtur ſimilis, cum Genio vrbis ſedente ſollicita fingitur de Imperatoris rebus; is enim à populis Orientalibus ſummè diligebatur.

Hunc nummum exhibuit Cl. Triſtanus, ſed in quibusdam diſſimilem. Noſter namque duas repræſentat figuras: primam quidem galeatam ſed quæ Mineruæ eſt, ex facie muliebri; galea & toto habitu: aliam virilem quæ ſiue Genium quemdam, ſiue ipſum Albinum refert, vtrumque enim poteſt ſuſpici. Primam Seuerum eſſe arbitratur ille ad expeditionem properantem, alteram per Albinum exponit Romæ relictum ad vrbanas res gerendas; quod huic nummo nequaquam conuenit: Cætera ritè ſunt explicata. Side Pamphiliæ vrbs, poſt Pergen præcipua: Παμφίλιη ἔχει δὲ δύο πόλεις ἐπιφανεῖς Πέργην καὶ Σιδὴν: Ei præfuiſſe Albinum veriſimile eſt, quem in Bithynia Bithynicos exercitus contra rebellantem Auidium tenuiſſe, ſcribit Capitolinus: aut in Sidetenſium vtilitatem aliquid contuliſſe: miſit enim pecuniam ad eas ciuitates inſtaurandas quas Niger attriuerat. Mineruam ibi cultam fuiſſe docet Strabo, temploque cohoneſtatam, Εἶτα Σίδη Κυμαίων ἄποικος, ἔχει δὲ Αθηνᾶς ἱερὸν.

DEOS AVSPICES seu PATRIOS Herculem & Bacchum, vt in nummo aureo legitur, & sacrificium ob ludos sæculares repræsentant hi duo nummi. Mirum quam sint integri, quam pulchra ærugine sint obducti. Certe eorum typus fusiorem mereretur interpretationem, eam aliàs attigimus. De eius ludis sæcularibus sic scribit Zosimus *Seuerus cum anni CX. adpetijssent, cum filijs Antonino & Geta ludos eosdem* sæculares *ordinauit.*

Occurrunt duo nummi Græci quos ob raritatem hîc apponi curauimus : Alter Apolloniam designat , sed quam ? tradunt enim Geographi tres & triginta vrbes istius nominis. Neptunus maritimam aliquam ex ijs videtur indicare. Alter ad Prusam refertur Bithyniæ metropolim , de qua diximus *in nummis ex ære mediocri.* Harum autem ciuitatum cum Seuero necessitudinem non video, præter generalem populorum reuerentiam post deuictum Pescennium Nigrum.

Præclariſſimas inſcriptiones hi nummi exhibent, quibus Iulia Domna fuit decorata. Fauſtina quidem etiam nuncupata fuerat MATER CASTRORVM vt videre eſt in nummis & marmore apud Gruterum, quòd maritum ad caſtra proficiſcentem comitata fuerit : ſed illam Iulia ſuperauit, cùm AVGVSTORVM, SENATVS & PATRIÆ mater etiam dicta eſt. Nihil in tota Romana hiſtoria illuſtrius aut alicui mulieri honorificentius.

Cyprienſes & Pergameni ſuum erga Iuliam Domnam affectum hiſce nummis teſtati ſunt. De Venere Cypria eius templo, area & miraculis adi Tacitum. Quod ad rem noſtram pertinet iam ſcripſimus dum Druſi nummum vulgauimus *in ære mediocri.*

Pergameni Æſculapium & Hygiæam ferè ſemper ſignarunt, quod in ſecundo nummo ab IVLIO ANTHIMO eorum Prætore factum eſt. Hi autem in nummo ſe PRIMOS Aſiæ nuncupant TERTIVM NEOCOROS.

Illuſtriſſima ſunt profecto hæcce Caracallæ numiſmata. Primus ſacrificium exhibet pulcherrimum in quo ſpectanda præcipuè venit illa Victoria quæ ſacrificantem Imperatorem coronat.

Alter Circum eius refert cuius adhuc egregia veſtigia ſuperſunt, tertio ab Vrbe lapide in Via Appia.

Horum nummorum Caracallæ primum in ſerie ex ære magno repoſuimus, quamuis ex maximo modulo eſſe videatur, qui à Magnetenſibus ad Sipylum cuſus eſt.

Secundus à Mitylenenſibus ſeu Lesbienſibus in mari Ægæo. Angelonus quidem hunc nummum refert, ſed cum quadriga, captiuis & rectore currus ſpolia gerente, quæ omnia neutiquam meo conueniunt.

Rarus hic nummus à Sidetenſibus cuſus eſt, de quibus in Albini nummis diximus. Sequens præclarus eſt in quo Popa cernitur mactandæ victimæ proximus, iuxta templum & Imperatorem tenentem pateram : hæc omnia ſacrificium indicant quamuis ſine ara. Inſcriptio conſpicua eſt , quâ TARSVM in honorem vel Seueri vel Caracallæ dictam fuiſſe SEVERAM conſtat : quod etiam alij nummi comprobant. Superiores characteres illam AManicæ ſeu AManoidicæ Ciliciæ caput declarant.

Cyprij primum hunc nummum cudere, quemadmodum eodem typo Iuliam Seueri vxorem decorauerant. Venus in medio templo cernitur sub coni specie, cuius rationem sibi esse in obscuro scribit Tacitus. Alter egregium typum habet quem circumdant characteres minus politi; ideo minus cogniti. Cyzicenos tamen designari arbitror. Iuuant coniecturam serpentes facibus impliciti, qui ad Proserpinam referuntur: De quibus omnibus diximus cum nummos ex ære mediocri exposuimus. Aræ quæ in medio est, tres figuræ impositæ sunt, quarum interpretationem auidè addiscerem.

Quatuor eiusdem Caracallæ nummos vulgabimus ex eorum ſpecie quos Itali *Contourniatos* vocant. Quod capita ferè ſimilia ſint, ideo non expreſſimus. Ad Athletas duo primi referuntur, quibus ob fortitudinem comparabatur Caracalla. Tertius Herculem taurum domantem.

Octauo domuit magno luctamine taurum.

Circus in quarto expreſſus eſt, ſed diuerſus à ſuperiori qui quoties occurrit toties nummum efficit rarum, in Caracalla præcipuè.



Quot benefactores habuerunt Ægyptij, Græci, Romani, tot ferè Ioues censuere : Vnus hic SOSPITATOR dicitur à sospitando quasi seruando: sic Iunonem Sospitam habebant quæ in nummo gentis THORIÆ cernitur, & Antonini Pij. Arbitratur Cl. Tristanus Caracallam IOVI SOSPITATORI ædem aliquam ædificasse, cui pugionem quo confossus fuerat Geta dedicasset : Coniecturam eius delet hic Getæ nummus pari ornatus typo, pari inscriptione. Iste autem Iuppiter quemadmodum Serapis modium habet capiti impositum.

Famil. Roman.

Comm. hist. tom. 2.

Spartian. *Byzantij quòd Peſcennio Nigro fauerant, à Seuero malè ſunt habiti: priuilegia ijs adempta ſunt, agri Perinthijs donati.* Ij demùm in gratiam redierunt, fortaſſis precibus Getæ cui hunc nummum obtulerunt. Caius SALLius ARISTÆNETVS fortaſſis eorum erat Prætor. Europa Agenoris filia à Ioue tauri formam mutuante rapta eſt, quòd ſitum vrbis indicat. Illam orbis politiſſimæ & populoſiſſimæ parti nomen dediſſe antiqui docent; in ea autem Byzantium ad Boſphorum Thracicum. Obſeruandum in hoc nummo Getam ΣΕΒαςὸν nominari, hoc eſt Auguſtum, qui modo CÆSar in ſuperiori ſcribebatur.

ELAGABALI numiſmata non ita præſtant vt in Theſauro locum mereantur: huic id condonarunt integritas & ærugo nobilis, qua obductum eſt. Aſtrum deinde in eo ſignatum ſiue Sol, cuius ſe Sacerdotem prædicabat Imperator.

AQVILIAM SEVERAM Veſtalem ideò ſibi in vxorem adſciuit Elagabalus, vt ex ſe Pontifice & ex ſacerdote Veſtali diuini liberi naſcerentur. Illam paulò pòſt remiſit, ac deinceps reuocauit. De illa plura apud Autores antiquos. ÆQVITAS PVBLICA hîc picta eſt ſub trium Monetarum habitu, quod rarum eſt, præcipuè in Auguſtæ nummo.

Gloriatur hisce numis Maximinus & VICTORIA quam de Germania adeptus erat, & LIBERALITATE exhibitâ. Primùm ſic exponit Capitolinus, *Ingreſſus eſt Germaniam Trans-Rhenanam per trecenta vel quadringenta millia barbarici ſoli, vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, barbarorum plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros, & niſi Germani per amnes & paludes & ſiluas confugiſſent, omnem Germaniam in Romanam ditionem redegiſſet.* Liberalitatis cuius typus in altero conſpicitur, nullam mentionem in Veteribus legi.

Egregius hic nummus ab Epheſijs cuſus eſt, ſe primos Aſiæ nuncupantibus. Imperator eques captiuum calcans ritè Victoriam indicat quam ſua virtute bellica erat adeptus.

Hunc Maximi nummum neque antiquum aſſerere audemus, neque valemus explicare. Bos octo nudorum puerorum humeris impoſitus eſt, quem ita ſublatum deportant; fortaſſis ad ſacrificium. EYTYXH ſeu Bona Fortvna, à Niſæenſibus coli & in gratiam Maximi rogari videtur. Decem vrbes Nyſæ nomine commemorat Stephanus.

Quomodo dignoſci poſſint in hiſce nummis Gordianorum Africanorum facies, certè difficile eſt præſcribere, præſertim cùm vterque ſimilia habuerit nomina & cognomina, ſimiles dignitates: quod paulo ſeniorem hi duo repræſentant, ideo Patri aſſignamus: typi nihil habent ſingulare, nummi attamen rari ſunt. De eorum actis dicere non eſt noſtri propoſiti: infeliciter pro ſe & pro Populo Romano electi ſunt Imperatores, ſatiùs illis fuiſſet priuatos viuere.

Quod hi iuniores videantur ideò filio adscribuntur : mirum quanta sit patri & filio facierum conformitas , quamuis hic ætatis anno XLVI. confossus fuerit , ille LXXX. Artificum incuriam accusare non debemus , qui in cæteris suis operibus & ingenioſi & docti apparent. Nummorum cælatura certè est elegans. Typi quidem communes at nummi Gordianorum AFR. rari sunt in omni metallo.

Tarſus ſupra cæteras vrbes nummos ſuos Imperatoribus Romanis dicauit, præcipuè Gordiano. Videtur in primo nummo Imperator cum vrbis Genio aliquid paciſci. In altero ſtant Gordianus Imperator & Abgarus Rex : De quo diximus *in nummis ex ære mediocri.* Tertium illuſtrat Luna, quartum Victoria. Π. Π. Patrem patriæ indicat.

Philippum ad quem pertinent hi nummi, aiunt Chriſtianum fuiſſe : ſi tamen mores religionem indicent , vix ſuſpicari poſſumus diuinis præceptis imbutum eum qui tam barbarè tamque crudeliter imperauit. Primi nummi typus auerſus Lunam refert in curru à bobus vecto ſicuti in Gordiani nummo : Ijdem Tarſenſes eum cudi curauerunt. Alter ab Antiochienſibus percuſſus eſt : notandi ſunt characteres græci romanis permixti : nomen vrbis græcè ſcriptum : flandi numiſmatis permiſſio latinè, S. C. Eam fortaſſis græcè ſcribere non audebant.

Egregios Philippi typos exponit hæc tabella. Primus ad Zeugmatenſes refertur, de quibus vt de templo in nummo ſignato, diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.* Zeugma autem erat imperij Romani vrbs finitima trans Euphratem.

Alter ab Ierapolitanis cuſus eſt. Quales illi ſint non eſt facilè aſſerere inter tot vrbes eiusdem nominis. Dea Syria ſeu Cybele leoni inſidet, egregium ſpectaculum: De ea ibidem diximus.

SALLuſtia BARBIA ORBIANA Traiani Decij vxor vulgò cenſetur, quamuis ſuſpicio ſit illam non illi ſed Alexandro Seuero nupſiſſe. Illius cum marito CONCORDIAM exhibet hic nummus.

Patrem & filium faciebus auerſis deſignat hic nummus ab Antiochienſibus percuſſus. Treb. Gallus filium Voluſianum conſortem imperij fecerat cùm audiuit rebellantem Æmilianum; at vterque ab hoc eſt oppreſſus & cæſus propè Interamnam.

Rariſſimos eſſe Æmiliani nummos ex ære magno norunt qui nummos tractant, quod imperij eius breuitati tribuendum eſt. SPES PVBLICA frequenter occurrit in nummis antiquis, indicandis populorum votis, quæ rariſſimè euentui coniungebantur. Alter illa deſignat VOTIS DECENNALIBVS: nummos cudebant Romani cum ea ſuſcipiebant, cudebant pariter cum ſoluebant: Exempla cernuntur in Antonino, Commodo & alijs.

Gallienus hic exhibetur cum tribus Monetis. Frequenter hocce typo ſuos nummos ſignauerunt Imperatores Romani, quo ſe fideles & æquos erga populum teſtarentur, ponderis & metalli legem exquiſitè ſeruantes.

Vterque Poſthumus hic repræſentatur: Filius quidem ſe Imperatorem AVGVSTVM nominat, qui patrem tanquam Deum & Herculem Deuſonienſem veneratur: De Hercule Deuſonienſi diximus in libro *De nummis ex ære mediocri.* Nummus iſte eſt eximiæ raritatis.

Fast. Diuc. CLAVDIVS Gallieni morientis ſententiâ Imperator deſignatus eſt, à militibus electus, á Senatu deinde appellatus Auguſtus. Gothos qui per quindecim annos Illyricum Macedoniamque vaſtauerant, ingenti prælio & incredibili ſtrage deleuit: quare dictus eſt Gothicus. Vir parcus, modeſtus & iuſtitiæ tenax ac Reipublicæ gerendæ idoneus, Sirmij morbo interijt, & inter Diuos relatus.

De Probo iam diximus ſupra in nummis ex auro. Notandus venit hic militaris habitus, & clipeus ille in quo quadriga triumphalis.



CARINVS Cari filius fuit. Ab hoc dictus est Cæsar cum fratre Numeriano, relictis sibi gubernandis Italiâ, Illyrico, Galliâ. Pernicioſus fuit atque omnibus bonis inuiſus. Trucidatus est eius præcipuè Tribuni dextrâ cuius dicebatur coniugem polluiſſe. Nummus autem est integritate & raritate nobilis.

Diocletiani acta attigimus ſupra pag. 91. Tres Monetæ ex auro, argento & ære Dearum inſtar frequenter occurrunt in iſtius æui nummis, indicandæ ſcilicet Principum iuſtitiæ.

Constantinum Magnum imperij ſedem mutaſſe, veterem Romam quaſi deſeruiſſe, & nouam Byzantij conſtituiſſe nemo eſt qui neſciat. Infiniti pene ſunt eius nummi minuti cum his verbis VRBS ROMA, & CONSTANTINOPOLIS : Longè rariores hi ſunt ex ære magno vtramque deſignantes. Roma galeata eſt, vt ſolet, tanquam terrarum Domina gentiumque Dea. Conſtantinopolim ὅλης τῆς κόσμου μητρόπολιν vocauit Chryſoſtomus, *totius mundi caput*. Themiſtius illam πόλιν βασιλίδα, πόλιν εὐδαίμονα ἑστίαν εὐδαιμόνων βασιλέων nominauit, *Vrbem Regiam, vrbem felicem, domicilium felicium Regum.*

In Homil. *Orat. 16.*

Ad Conſtantium referuntur hi quatuor nummi filium Conſtantini Magni : Tot adeptus eſt ille victorias vt difficile ſit hanc quæ in primo nummo expreſſa eſt deſignare. Cætera per ſe innoteſcunt.

Poſtremi hi duo nummi ad Athletas pertinent, quorum dotes & fortitudinem ſuis Imperatoribus tribuebant. Conſtantini Magni temporibus ex cælatura videntur cuſi, quem caput galeatum refert. Tantum autem laudis apud Græcos fuit luctâ, ſaltu aut ſimili re victorem fuiſſe declaratum, *vt propè maius & glorioſiùs fuerit, quam Romæ triumphaſſe*, inquit Cicero : quare non mirum eſt ſi ſuorum Athletarum gloriæ immortali conſulentes Græci hosce nummos cuderint.

Numorum huius capitis appendix erit nummus Perſicus. Non multum huic abſimilem edidit Clariſſimus Triſtanus: Arſaces cernitur cuius caput diademate cinctum eſt, criſpisque capillis plurimis ornatum. In eius auerſa parte legitur ΒΑΣΙΛΕΩC ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΑΡΣΑΚΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ ΔΙΚΑΙΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥC ΓΟΡΠΙΑΙΩ, Regis Regum Arſacis, Benefici, Iuſti, Illuſtris, Gorpiæo. Illum Arſacem eſſe coniicit qui belli primi Punici temporibus, Antiochum Deum deuicit, *quæſito ſimul & conſtituto regno*, vt ait Iuſtinus, *non minus memorabilis Parthis, quam Cyrus Perſis, Macedonibus Alexander, Romulus Romanis, matura ſenectute decedit.* Omnia ritè comprobat. Regi ſedenti Mineruam obijcit ſtantem diadema offerentem, eo nempe menſe Gorpiæo ſeu Septembri quo imperium eſt adeptus. Numus meus vtcunque integer eſt, at ei proprium nomen eſt ereptum; cætera quæ manifeſtè leguntur,

Comm. hiſt. tom. 2.

à Triſtani nummo in quibusdam differunt & eum illuſtrant. Siue itaque aut Triſtano non ſatis integer nummus ſuppetierit, aut is quem habebat à meo diuerſus ſit, differentias enarrare & breuiter explicare in animo eſt. Nummus hic caput repræſentat quodammodo barbarum, barbâ non longa quidem ſed criſpâ & cincinnatâ, nullis capillis redimitum, ſiue quòd caluus fuerit ille Rex, ſiue quòd ſub galero regio ſint abſconditi. Duo nodi retrò conſpiciuntur qui aut firmandæ capiti cydaridi, aut diadematis fines ſunt, licet enim vtrumque conijcere. Coram aliquid eſt appoſitum quod ſceptrum videtur: illud autem apud Perſas aureum
Lib. 8. erat, χρυσῆν σκῆπτρον indicat Xenophon. Toga regia ea ferè eſt quæ videtur in Triſtani nummo, de qua
Lib. 1. ſic Iuſtinus: *Semiramis quidem brachia & crura velamentis, caput tiara tegit: & ne nouo habitu aliquid occultare viderentur, eodem ornatu & populum veſtiri iubet, quem morem veſtis exinde gens vniuerſa*
Curtius. *tenet.* Eam deinde auro, purpurâ inſignem varijs animalium auiumque figuris diſtinxerunt. Ei ſuperaddita fuit tunica manicata, quam etiam à Græco translatam Romani chiridotam dixerunt, quæ
Lib. 7. ſuſpenſa ex humeris, vltra brachia & vsque in
Onom. c. 13. primores manus prolixa extenderetur: ſic Pollux,
Lib. 15. ſic Strabo indicant. Illam Candyn nominabant,

quam reſpuit Alexander, cùm tamen cæteras veſtes, Perſarum more, induerit, *quod fæmineas & probroſas criminaretur.* Ponè caput videtur gamma græcum Γ. Illud eſt fortaſſis quod Gorpiæum menſem inducit, à Triſtano citatum. Perſarum Reges inaures geſtaſſe quemadmodum in hoc nummo cernitur, argumento eſt, quòd *Cyri ſepulchro illata fuiſſe* ἐνώτια Arrianus refert. Ita Peroſæ Perſarum Regi ex aure dextra pendebat Μάργαρος δεκοτάτη τε καὶ μεγέθους ὑπερβολὴ ἔντιμος, ἐξ ὠτὸς τοῦ δεξίου ἀπεκρέματο. Auerſa facies plures habet differentias. A ſiniſtris hic ſedet Princeps more barbaro & tamen regio veſtitus. Cydaride eius caput ornatum eſt, ſiue tiarâ quam rectam geſtare Perſarum Reges ſolebant Ορθὴν τοάραν. Cydarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne. *Hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat*, inquit Curtius. Figura ſtans ei coronam tradit quam per Mineruam interpretari minus bene mihi videtur: illa enim turres habet in capite & haſtam ſiniſtrâ tenet, quo habitu nunquam depicta eſt Minerua: Genium alicuius vrbis eſſe certum eſt, cuius fortaſſis nomen primariæ hæ indicant litteræ, ΑΝΥ. Ad cæteram inſcriptionem progrediamur. ΒΑΣΙΛΕΩϹ ΒΑΣΙΛΕΩΝ, ut in Triſtani nummo occurrit, ſi vna excipiatur littera, ΒΑΣΑΛΕΩΝ enim in

Diod. l. 17.

Plut. l. 1. de fort. Alex.

Lib. 7.

Procop. l. 1. debel. Perſ.

Lib. 3.

meo nummo manifestissimè legitur per A scriptum non per I. ΔΙΚΑΙΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥC nullam prorsus habent differentiam: Verbum aliquod subobscurè deinde legitur quod veluti ΟΛΑΓΑC, sed quid significet non satis compertum habeo. Vnum præterea adest ἐπίθετον, cuius nullam mentionem facit Tristanus, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΥ quasi Græcos amantis seu Græcorum amici, de quo pauca veniunt dicenda. Tristanus scribit hunc esse Arsacem qui Græcis imperium ademit, quod Alexander Persis deuictis sibi suisque adquisiuerat: Quanam ratione hic se Græcorum amicum profiteretur, quos sæpius vicit & tandem derelicta Parthia in Græciam fugere coëgit, certè non video. Aliam coniecturam suppeditat epistola quædam Chosrois ad Varamum, quæ nummum non ad Arsacem sed ad ipsum Chosroëm traduceret. Hanc mihi suppeditauit in
Lio. 4. c. 8. *Dissertationibus Academicis* I. Henr. Bœclerus; vir in tantum laudandus in quantum virtus, eruditio & vrbanitas quemquam possunt extollere. Ex Theophylacto Simocatta illam desumpserat, cuius hoc est initium. Χοσρόης ΒΑΣΙΛΕΥC ΒΑΣΙΛΕΩΝ δυναστευόντων δεσπότης, κύριος ἐθνῶν, εἰρηνάρχης, τοῖς ἀνθρώποις σωτηρίος. Εν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟC, ὑπερένδοξος νικητὴς. Ηλίῳ συνανατέλλων

καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος ὄμματα. ἐκ προγόνων ἔπαρχος. Βασιλεὺς μισοπόλεμος, χαριστικός. Ὁ θεὸς ἄσωνας μισθούμενος καὶ τὴν βασιλείαν Πέρσαις διαφυλάττων, Βαραὰμ στρατηγῷ Περσῶν ἡμετέρῳ δὲ φίλῳ. hoc est, *Chosroës* REX REGVM, *Dominus dominantium, Dominus gentium: Princeps pacis; hominum salus: inter Deos quidem homo bonus & æternus, inter homines autem Deus* ILLVSTRISSIMVS: *Victor longè glorioſiſſimus. Cum Sole exoriens. Nocti oculos largiens. A maioribus nobilis. Rex belli oſor. Bene merens de omnibus. Aſonas mercede conducens, & regnum Perſis cuſtodiens: Varamo Perſarum Duci amico noſtro.* In quibus ijdem & fortaſſis ampliores tituli Choſroi tribuuntur quam ipſi Arſaci. Vtut ſit noſter nummus rariſſimus eſt, & REGVM REGI competit; ſic Parthi ſic Perſæ ſuum nominabant. Cuius plura exſtant apud antiquos teſtimonia. Vnum erit inſtar omnium quod refert Hippocrates noſter. Ἀρταξέρξης Βασιλεὺς Βασιλέων, Παίτῳ Χαίρειν. *Artaxerxes Rex Regum, Pæto Salutem.* Vnum aliud tacendum non eſt, inſcriptam nempe hanc fuiſſe dignitatem Cyri ſepulchro, quamuis aliam tradat Strabo, in turri decem tabulatis excelſa, quorum ſuperiori iuxta Cyri ſepulchrum, græcum erat epigramma litteris Perſicis ſic inſcriptum: *In Epiſtol. miſcell.*

Lib. 1.

ΕΝΘΑ Δ' ΕΓΩ ΚΕΙΜΑΙ
ΚΥΡΟϹ
ΒΑΣΙΛΕΥϹ ΒΑΣΙΛΕΩΝ.

HIC EGO IACEO CYRVS REX REGVM. hæc Oneſicritus. Agamemnona etiam á Velleio Paterculo Regem Regum nominari legi. Diſſimulare non poſſum rariſſimum hunc noſtrum nummum elegantius ſcalptum eſſe quam ætas ferre ſoleat Iuſtiniani & Heraclij : Deinde illum argento antiquitùs obductum fuiſſe color & ſplendor ſatis declarant.

Ad priora itaque tempora traducendum eſſe ſuſpicio eſt, & ſi nos non fallat coniectura, ad Vologeſem unum ex Arſacidis : Quid enim aliud indicarent iſti characteres ΟΛΑΓΑΣ. Certe ſi Β principio adderetur & ΟΥ fini, Vologeſis nomen haberes, cui cætera conueniunt, inſcriptæ nimirum dignitates. Jlle porrò ab Antiquis variè nominatus eſt, Βολογαίσης, Βολογέσης, Βολόγεσ, Βολόγεσ, Ουλόγισ, Ουολόγαισ. Quæ omnia nummum illuſtrant & viciſſim ab eo illuſtrantur : Emendari libros poſt nummos abundè norunt qui cum utrisque verſantur.

Joſephus. Dio. Zonaras. Lucianus. Xiphilinus.

CAPVT VII.

DE NVMMIS EX ÆRE MEDIOCRI.

Ducentos huius ſatis antiquos numos eximiæ raritatis & integritatis hîc vulgare in animo erat, niſi priorem noſtram cogitationem ſecunda correxiſſet. Opus noſtrum DE NVMMIS IMPERATORVM ROMANORVM EX ÆRE MEDIOCRI, quod adhuc erat inter præli carceres adaugere maluimus, quo vno impetu omnes noſtros rei antiquariæ theſauros Curioſis exhiberemus. Breuitatis itaque huius capitis nemo nos accuſet, cum ſitim quamcunque iſtud Opus vltrò explere poſſit; in quo pro tenuitate noſtra, quantùm tamen potuimus accuratè, ad duo millia numiſmatum & expoſuimus & explicauimus.

Nulla autem Numiſmata ex ære paruo hîc appoſuimus quamuis multa nobis ſuppetant, quòd ea inſeruerimus ijs quæ ex ære ſunt mediocri. Iſtius facti præter exemplum quod harumce rerum Scriptores nobis poſſent commodare, duplex fuit argumentum: Vnum quidem quòd nummorum ſeriem ex ære paruo nulli vnquam contigit perficere: ob plurium penuriam. Alterum quòd vtraque ſpecies, æris ſcilicet mediocris & minimi optimè conueniat, in vtraque enim Coloniæ plurimæ indicantur & ea quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam Veterum, ſiue religionem ſpectes ſiue artem militarem, Romanorumque potentiam, ſiue litteras elegantiores. Eam ob rem eadem fidelia iſtos dealbauimus parietes.

CAPVT VIII.

DE NUMMIS RECENTIORIBUS.

Recentiores nummos vocamus eos qui cusi sunt post distractum imperium Romanum & Monarchiarum quæ nunc Europam regunt, institutionem. Primis quidem illis temporibus, pauca facta fuêre Numismata, quòd pax bello cederet, artesque tranquillæ bellicosis. Francisco Valesio Opt. Principe Galliam moderante artes veluti Sepultæ iterum populares factæ sunt. Ijs temporibus Iulius tertius Pontifex Maximus, Carolus & Solymannus Occidentis & Orientis Imperatores, Henricus Angliæ Rex & Sigismundus Poloniæ, omnesque ferè Principes quasi communi fato ardorem studendi populis suis accenderunt, quem Numismatibus omnis

generis ſunt teſtati. Eorum ſucceſſores ab iſto inſtituto non deflexerunt; quisque ſuæ gloriæ & ideo ſibi allaborauit: tot inde nummi, nobilitatem, ingenium, victorias, probantes. Eorum deſcriptionem iam quidam aggreſſi ſunt, inter eos eminente Io. Iac. LVCKIO Argentoratenſi: cuius operi non parùm contulit vir quidam eruditiſſimus pariter Argentoratenſis. At hæc ſunt pauca facta, ſi facienda inſpiciantur. Nummorum elapſi ſæculi conſcripſerunt quidam hiſtoriam, ſed quot prætermiſerunt? ſed quot ſunt à Theodoſio ad elapſum poſtremum ſæculum? ſed quot cuſi ſunt ab eo elapſo ſæculo. Appendices paratas habeo ſupra tria millia numiſmatum ab his temporibus, quorum delineationem ex tot cimeliarchijs mihi ſeruaui; donec Reipublicæ curioſæ ſatisfacere poſſim. Iniquæ meæ fortunæ & temporum difficultati finem facturum ſpero Regem meum Chriſtianiſſimum LVDOVICVM, Maieſtate aut autoritate ita conſpicuum ac æternis illis eius dotibus, Pietate, Iuſtitiâ, Moderatione, Clementiâ, Probitate, Eruditione. Faxit faxit Deus ter Optimus Maximus vt qui me tanti Regis temporibus ad ſtudia promouit, meas ipſi curas ſtudia, obſequia omnis generis rependere condonet. Vnum addam me ex tot recentioribus nummis quos noui vnum ſelegiſſe qui mihi inſtar eſt Theſauri.

Carolum Magnum repræſentat Regem Galliæ primùm, deinde Imperatorem: non quidem cum ea togâ imperatoria, aut cum enſe & globo, ſed tantùm cum laurea ornamentorum vices ſupplente. Materia eius, plumbum ſcilicet, indicat ſigillum fuiſſe: Inſcriptio ſuperbiſſima eſt, quam ſiue nummo huic propriam affixerit Imperator, vel diplomatibus ſuis, ſane ad Francorum gloriam plurimùm confert. Deus illam in æternum ſoſpitet. Quod quidem votum Theſaurum noſtrum adimplebit.

INDEX
CAPITVM HVIVS THESAVRI.

CAPVT I. De Nummis ex Auro, - - pag. 1.
CAPVT II. De nummis Græcis, - - pag. 17.
CAPVT III. De nummis Conſularibus, - pag. 33.
CAPVT IV. De nummis argenteis Imperatorum Romanorum, - - - - - - pag. 47.
CAPVT V. De nummis æreis ex maximo modulo, - - - - - - - - - pag. 95.
CAPVT VI. De nummis Imperatorum Romanorum ex ære magno, - - - - - - pag. 133.
CAPVT VII. De nummis Imperatorum Roman. ex ære mediocri, - - - - - pag. 215.
CAPVT VIII. De nummis recentioribus, pag. 217.

FINIS.